AUTHOR:

BUCHHOLZ, EDUARD

TITLE:

VINDICIAE CARMINUM HOMERICORUM

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1885

Master Negative #

91-80338-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

 Buchholz, Eduard., 1825-1887.
Vindiciæ carminum Homericorum. Vol. i. Lipsiae, 1885.
l. 8°.
No more published.

*Homerus

HCL 14-1628

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 11.27.1991 INITIALS Emilian
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

VINDICIÆ

CARMINUM HOMERICORUM.

SCRIPSIT

E. BUCHHOLZ, DR. PHIL.,
PROFESSOR BEROLINENSIS.

VOLUMEN PRIUS.

LIPSIÆ
IN ÆDIBUS GUILELMI ENGELMANNI
MDCCCLXXXV.

GENIO HOMERI SACRUM.

PRÆFATIO.

Godofredi Hermanni illud „Homerus graecorum scriptorum multo et facillimus et difficillimus“ [1]) quam recte se habeat, luculenter inde apparet, quod studia homerea, quae philologi nostri novissimis his decenniis persecuti sunt, gravissimis de ipso Homero, de carminum homericorum origine aliisque id genus quaestionibus adeo nihil lucis attulerunt, ut etiam nunc de his rebus sub iudice lis sit, vel potius undique acerrima controversia flagret. Quarum turbarum auctor, sed insontissimus ille, Fr. A. Wolfius — nam inscius nec ulla sua culpa Lachmanno et Lachmannianis ad Homerum in membra dissecandum facem ille praetulit —, nihil aliud nisi id egit, ut Homerum eiusque aequales artis scriptoriae ignaros fuisse convinceret; ceteras quaestiones aut anxie defugit, aut tam leviter attigit, ut earum nervos in medio relinqueret. Ipsi igitur Wolfio, ut qui Homerum suum, cui per tot saecula pacatissimo otio uti contigerat, sollicitare et in studiorum homericorum campo res novare tantopere verecundaretur, ut Prolegomena et praefationes editioni praemissas paene invitus publici iuris faceret, — ipsi Wolfio, inquam, vix dici potest quam nihil suboluerit tempestatum illarum, quas nova eius doctrina aliquot decenniis post excitatura esset. Etenim Wolfiani ex tenuissimo scrupulorum semine in Wolfii doctrinam incluso tam ingentem suspicionum et athetesium messem elicuerunt, ut Wolfius, si ab inferis exsisteret, effrenata adseclarum suorum licentia stuperet.

Saepenumero mirabundus animo mecum volutavi, quo tandem iste Wolfianorum furor evasurus esset; neque quicquam iam reliqui esse mihi visum est nisi ut epopoeiae homericae si non radicitus exstinguerentur, at in misellas tamen conciderentur particulas, quibus cum pristinis maeonii vatis artificiis prorsus nulla intercederet similitudo.

Equidem ingenue confiteor abstrusam illam et captiosam quaestionem, quae ad carminum homericorum originem pertinet, inde ab

[1]) Praef. ad Homeri Iliadem in Opusculorum. Vol. III. p. 75.

omni tempore aculeos scrupulosque mihi iniecisse, adeoque me momordisse et pupugisse, ut tandem „conclamatam“ eam esse putarem et desperatam, praecertim cum neque ex scholis ab Hermanno et Schneidewino, gottingensibus olim professoribus iisdemque dilectissimis praeceptoribus, in academia Georgia Augusta habitis, quibus cum magna mea voluptate interesse me memini, neque ex sermonibus cum doctis amicis de quaestione homerica iterum ac saepius institutis, nec denique ex ingenti colluvione commentariolorum librorumque, qui novissimis decenniis de Homero conscribillati sunt, ipsis quaestionis nervis non modo nihil lucis allatum, sed plus etiam caliginis offusum esse mihi videretur.

Provectiore demum aetate, cum non solum veteres recentioresque poëtas iterata lectione perscrutatus essem, et nocturna, ut ait Horatius, diurnaque manu versavissem, sed etiam, qua in re totius huius quaestionis nervus contineri mihi videtur, naturam et indolem epopoeiarum „popularium“ rectius et existimare et aestimare didicissem, eam quaerendi rationem et viam inii, quam in his „Vindiciis“ longius persequi conatus sum. Quae ratio utrum vera sit an falsa, alii diiudicent; sed diiudicandi ius potestatemque nemini concedam nisi cui satis idonea epopoeiarum „popularium“ scientia in fronte inscripta est.

Multi nubem pro Junone me amplexatum et halucinatum esse clamabunt, qui carminum homericorum originem interpretaturus ad visiones quasdam poëticas confugerim; sed viderint isti, an non ipsi halucinentur, qui ex minutulis Lachmanni cantiunculis amplas epopoeias cooriri potuisse sibi persuaserint.

Omnibus iis, quorum interest carmina homerica ab interitu vindicari, has vindicias magnopere commendatas velim; ceteris, quippe hostilium castrorum defensoribus, minime irascar, si has meas curas „oculis inretortis spectaverint.“

Non tam consulto et cogitate quam fortuito fit, ut nonnullis harum Vindiciarum locis „Disquisitiones sophocleae“ propediem a me edendae commemoratae inveniantur. Initio enim in animo mihi fuerat Disquisitiones illas, ut prius scriptae erant, ita prius foras dare. A quo consilio cum propter necessariam quarundam partium retractationem desistere cogerer, factum est, ut locos illos ex Disquisitionibus allatos auferre per oblivionem neglegerem: id quod a benevolo lectore excusatum iri spero.

Scribebam Monachi Kalendis Januariis a. MDCCCLCCCV.

SUMMARIUM.

[1]) Recentiorum recentissimorumque criticorum studia homerica alteri „Vindiciarum“ volumini reservabo.

VINDICIÆ

CARMINUM HOMERICORUM.

PARS PRIOR.

DE CARMINUM HOMERICORUM ORIGINE ET PROPAGATIONE. EORUNDEM COMPOSITIO INLUSTRATUR.

CAPUT PRIMUM.

Carminum homericorum aetates et tempora inde ab antiquissimis temporibus usque ad Alexandrinorum aetatem enarrantur.

§ 1. Decimo fere a. Chr. n. saeculo in ionica aliqua insula vel urbe maritima, quae utrum Smyrna an Chius fuerit in medio relinquendum est, cum neutra gravissimis originis homericae indiciis careat, praeclarus vates exstitit Homerus, qui, cum antehomerici illi poetae, qui aoedorum nomine appellabantur, singula dumtaxat et minora carmina pepigissent, quibus inter convivia auditores delectarentur, latioris ambitus carmina artificiose composuit. Idem magno adseclarum seu alumnorum globo stipatus erat, qui nescio sodalitatis dicam an disciplinae sectaeve vinculo ita inter se coniuncti erant et copulati, ut communi, ut aiunt, Marte unum et idem poesis epicae studium persequerentur, duce videlicet et auspice ipso Homero, cui sectatores isti — Homeridarum nomine antiquitus appellabantur — ita erant addicti, ut principem eum et artis antistitem venerarentur, vel potius Musarum sacerdotis loco haberent, qui sacris Musarum ipsos initiaret. Unum illud dico: grex Homeridarum duce magistro eponymo artem poeticam factitabat, non quo, praestantis ingenii vi et singulari quadam virtute praediti atque magistrum aemulati, ipsi quoque magna opera perficerent, sed, praeclara antistitis carmina magnopere admirati, id sibi proposuerunt, ut ea ipsa carmina publice, maxima audientium corona, recitarent et ex tenebris et silentio in lucem famamque proferrent.

§ 2. Quanti autem momenti Homeridarum industria fuerit, facile est intellectu. Etenim carminum homericorum tanquam conservatores habendi sunt et vindices, quippe qui perpetua eorum recitatione per saecula ea propagando prohiberent, ne avido saeculorum hiatu hausta aut oblivione oblitterata interirent, efficerentque, ut, si non prorsus intacta et incolumia, at certe sui haud ita dissimilia ex priore aetate, ubi memoriter decantari solita fuerant, ad alteram illam aetatem, qua litteris mandari coepta sunt, pervenirent et velut ex naufragio quodammodo enatarent.[1] Primum autem in insula

[1] Germanice dixerim: „Die Homeriden waren die Mittler zwischen der Periode des Gesanges und der späteren Periode, wo die epischen Lieder durch die Schrift fixirt wurden."

Chio, deinde aliis locis artem suam exercebant[1]), neque solum artis, quam profitebantur, vinculo cum Homero artissime coniuncti erant, sed etiam originem ab eo duxisse feruntur.[2]) Quemadmodum vero fieri solet, ut in eiusmodi sodalitatibus procedente tempore instituta quaedam ritusque sollemnes usu recipiantur et invalescant: ita ne Homeridarum quidem familia certa quadam disciplina carebat, cum non modo ipsa carminum epicorum recitatio, sed etiam sollemnis ornatus, quo vestiti in publicum prodibant, legibus quibusdam ab antiquis traditis astrictus esset; quam ad rem infra[3]), ubi de carminum illorum relatu[4]) exponam, redibo.

§ 3. Iam quaerentibus nobis, quid discriminis inter Homeridas et rhapsodos intercedat, id quidem huc redire videtur, ut ars rhapsodorum multo latius pateat quam Homeridarum, cum illi non in carminum homericorum gyro se continuisse, sed omnia epici generis carmina pariter comprehendisse putandi sint — quo pertinet, quod scholiastes Pindaricus distincte nominatimque de rhapsodis carminum hesiodiorum loquitur[5]) —, hi vero unice in homereis carminibus recitandis versarentur. Brevi praecidam: Homeridarum familia nihil aliud est quam genus quoddam rhapsodorum, sed antiquissimum illud et honoratissimum, quod locum suum dignitatemque tamdiu obtinebat, quamdiu omnino ars rhapsodorum florebat: qua sensim et paulatim labente ipsorum quoque Homeridarum et ars et nomen exstinctum est, idque multo prius quam rhapsodorum ars ad sordidum cantorum circumforaneorum quaestum delaberetur.[6])

De ipsis Homeridis et pauca nobis tradita sunt et rara. Quo referendum est, quod apud Suidam lexicographum Parthenii cuiusdam mentio fit, nec aetate nec arte hominis accuratius significata. Ex celebratissimorum Homeridarum numero, sed unus ex ultimis huius familiae sodalibus Cynaethus videtur fuisse, qui, natione Chius, Hippostrato teste undeseptuagesima Olympiade primus Syracusis Homeri carmina publice recitasse hymnumque, qui „in Apollinem“ inscribitur, confecisse fertur[7]); cui eidem tamen exprobratur, quod carmina homerica multos versus a semet ipso et a schola sua confectos inserendo interpolaverit.[8])

---

1) Cf. Fr. A. Wolf, Proleg. p. XCVIII.

2) Schol. Pind. ad Nem. 2, 1: Ὁμηρίδαι πρότερον μὲν οἱ Ὁμήρου παῖδες.

3) § 4.

4) Eadem sententia vocabulum relatus invenitur apud Tacitum. Germ. 3 init.: carminum, quorum relatu, quem barditum vocant, accendunt animos.

5) Ad Nem. 2, 1: ῥαψῳδῆσαι δέ φησι πρῶτον τὸν Ἡσίοδον Νικοκλῆς.

6) Cf. W. Müller, homerische Vorschule. 2. Aufl. Leipzig, F. A. Brockhaus, 1836, p. 58.

7) Schol. ad Pind. Nem. 2, 1: ἦν δὲ Κύναιθος Χῖος, ὃς καὶ τῶν ἐπιγραφομένων Ὁμήρου ποιημάτων τὸν εἰς Ἀπόλλωνα γεγραμμένον ὕμνον λέγεται πεποιηκέναι. οὗτος οὖν ὁ Κύναιθος πρῶτος ἐν Συρακούσαις ἐραψῴδησε τὰ Ὁμήρου ἔπη κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα, ὡς Ἱππόστρατός φησι.

8) Schol. ad Pind. Nem. 2, 1: ἐπιφανεῖς δὲ ἐγένοντο οἱ περὶ Κύναιθον, οὕς φασι πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντας ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν: ubi verba οἱ περὶ Κύναιθον testimonio videntur esse, Cynaethum sodalitatis suae principem fuisse et tanquam „praesulem“. Ibid.: Ὁμηρίδαι πρότερον μὲν οἱ Ὁμήρου παῖδες, ὕστερον δὲ οἱ περὶ Κύναιθον ῥαβδῳδοί· οὗτοι γὰρ τὴν Ὁμήρου ποίησιν σκεδασθεῖσαν ἐμνημόνευον καὶ ἐπήγγελλον· ἐλυμήναντο δὲ αὐτὴν πάνυ.

§ 4. Ilias et Odyssea igitur iam antiquitus, ut dixi, corpora fuisse existimanda sunt ex singulis partibus artificiose composita. At quo tandem modo effici poterat, ut Homeri aequales eius rei sibi conscii fierent? Nam, si carmina illa minutatim vel membratim ab Homeridis rhapsodisve iis offerebantur, fieri non potuisse apparet, quin non tam solida corpora, quam singulae particulae prorsus nullo vinculo inter se cohaerentes esse iis viderentur. Necesse est igitur, id quod iam Odofredus Müller rectissime vidit[1]), certas quasdam occasiones non defuisse totas epopoeias maxima hominum frequentia uno tenore ita recitandi, ut integrae solidaeque auditoribus praeberentur, eosdemque omni magnarum epopoeiarum granditate maiestateque oblectarent.

Nec dubitare licet, quin Homeridis rhapsodisque occasiones praebitae sint carmina homerea una recitatione, et ea continua nec ulla longiore intercapedine interrupta, complectendi. Etenim magnifica illa spectacula, quae posteriore tempore, Dionysiis potissimum, ab universo Graecorum populo undique congresso celebrabantur, iam heroica aetate nescio protypa dicam an „prodromos“ habuisse credo: festis quibusdam ac sollemnibus diebus ex omnibus Graeciae regionibus magna hominum celebritas eundem in locum confluebat, flagrantissimo videlicet studio incitata Homeri carmina uno tenore, quae quidem minime usitata voluptas erat aut cottidiana, audiendi auribusque percipiendi vel potius avidissime imbibendi. Ipsi Homeridae autem vel rhapsodi, quos amplo augustoque habitu conspicuos splendidissimoque ornatu indutos fuisse consentaneum est, non sine magna quadam gravitate dignitateque in medium progressi tanquam Musarum sacerdotes gloriosissima heroum facinora recitando enarrabant, haud dissimiles illi quidem illorum rhapsodorum, qui in dialogo Platonico, qui Io inscribitur, varia veste amicti et aurea corona ornati in medium procedere et mirifica sua arte efficere dicuntur, ut auditores nunc lacrimas cohibere nequeant, nunc horrore adficiantur, nunc incredibili quadam perfundantur iucunditate.[2])

Quam oblectationem priscos illos homines per complures dies continuos persecutos esse quidni credamus, praesertim cum poeta, cuius carmina aut ab ipso aut ab eius discipulis coram iis recitabantur, summos Graecorum heroes praeconio suo nobilitaret, carminibusque suis vere popularibus audientium coronam mirifice delectaret?

§ 5. Hic quaerat quispiam, nonne vesani hominis sit sibi persuadere tam amplas ac paene dixi vastas epopoeias intra paucos dies non dicam mente, ut penitus intellegantur, sed ipsis auribus percipi posse?

Quod non est ita. Etenim, si Aeschyli et Sophoclis aequales tanta adsiduitate, ut ita dicam, sellularia vel sedentaria fuerunt, ut magnis Dionysiis per continuos dies multas deinceps fabulas scenicas indefessi, tanquam ferreo et corpore et animo essent, non modo audire, sed etiam mente percipere possent, — quid, quaeso, impedit, quominus Homeri aequales, utpote qui mascula robustorum valido-

---

1) Geschichte der griech. Litter. I, p. 108.

2) Plato, Jo 535. D. E.

rumque patrum proles fuisse censendi sint, si non multo etiam plus, at tantundem tamen in hoc genere praestitisse credamus? Nam, si recte se habet, quod apud poetam Venusinum est, hominum genera damnosa die ita imminui atque corrumpi, ut aetas parentum, avis peior, nequiores etiam filios ferat, qui ipsi quoque multo etiam vitiosiorem progeniem daturi sint: id ad homericae et sophocleae aetatis homines ita quadrat, ut priscos illos homines his posteris, scilicet a quibus magno saeculorum hiatu seclusi essent, ut corporis robore ita pertinaci perseverantia ac virili omnium aerumnarum patientia aliquanto praestitisse adseveraverim; nec dubito, quin, si utrisque audiendi animique attendendi patientia inter se certare licitum fuisset, futurum fuerit, ut recentiores homines tandem aliquando Morpheo manus dedisse stertendo palam fieret, cum interea boni isti atavi vegetis et auribus et mentibus acroamatis usque se delectavissent.

§ 6. Sed, quamvis in universum tales quaestiones a calculo numerisque abhorreant, tamen hac in re perspicuitatis gratia ad rationes arithmeticas confugere liceat, praesertim cum ea, quae arithmetica subtilitate demonstrata sunt, frustra impugnentur; nam necessarias mathematicorum conclusiones in controversiam vocare nihil aliud est nisi nodos in scirpo quaerere.

Ergo primum ponamus, quod quidem cum veterum scriptorum auctoritate testimonioque prorsus congruit, magnis Dionysiis novenas tragoedias, terna dramata satyrica totidemque comoedias doctas et editas esse; deinceps computemus, quot fere versus cum quindecim his fabulis tum Iliade et Odyssea contineantur; qua computatione facta relinquitur, ut utrorumque versuum summae inter se comparentur.

§ 7. Iam si, a tragoediis sophocleis orsi et editionem dindorfianam secuti, summas versuum, quae ex singulis fabulis conficiuntur, uno in conspectu posuerimus, hi numeri habebuntur:

Aiax:	1419
Electra:	1510
Oedipus Rex:	1530
Oedipus Coloneus:	1780
Antigona:	1353
Trachiniae:	1278
Philoctetes:	1471
Summa:	10341

Qua summa septenario numero divisa efficitur:

$$10341 : 7 = 1477.$$

Unde liquet ex aequabili totius summae partitione singulis tragoediis sophocleis singula milia quadringenos septuagenos septenos versus redire. Novenae igitur tragoediae, comprehensae, hanc versuum summam continebunt:

$$1477 \times 9 = 13293.$$

Sequitur, ut dramata satyrica in censum referamus. Quae cum temporis iniuria omnia deperdita sint, una Euripidis „Cyclope“ excepta, ea instar omnium nobis esto. Constat autem haec fabella, si editionem nauckianam consulueris, ex septingentis et novem versibus; quem numerum si triplicaverimus — nam terna, ut diximus, dramata satyrica Dionysiis edi solebant —, haec ratiuncula prodibit:

$$709 \times 3 = 2127.$$

Ergo terna dramata satyrica circiter 2127 versus continent.

§ 8. Restat, ut comoediarum „trias“ in censum veniat. Quod ut fiat, primum versuum summam ducamus, quam omnes Aristophanis comoediae, quibus temporum iniquitas pepercit, quae quidem undecim sunt, comprehensae efficiunt; deinde definiamus, quot versus ex aequabili distributione singulis comoediis redeant; denique horum versuum numero triplicato eam versuum summam computemus, quam illa comoediarum trias effecisse putanda est.

Singulae igitur Aristophanis comoediae, si editionem bergkianam sequimur, versuum summas continent has:

Acharnenses:	1234
Equites:	1408
Nubes:	1510
Vespae:	1537
Pax:	1357
Aves:	1765
Lysistrata:	1320
Thesmophoriazusae:	1231
Ranae:	1533
Ecclesiazusae:	1182
Plutus:	1209
Summa:	15286

Quam summam si undenario numero diviserimus, haec fere ratiuncula habebitur:

$$15286 : 11 = 1389.$$

Quo numero triplicato, versuum summa, quam ternae comoediae efficiunt, circiter haec est:

$$1389 \times 3 = 4167.$$

Quae omnia si una comprehensione complexi erimus, ex tota hac computatione efficietur:

Continent:

9 tragoediae fere 13293 versus.
3 dramata satyrica fere 2127 versus.
3 comoediae fere 4167 versus.

Quorum numerorum summam si duxerimus, habebitur:

$$13293 + 2127 + 4167 = 19587.$$

Quae fere summa est omnium versuum, quos novem tragoediarum, trium dramatum satyricorum totidemque comoediarum complexio efficit.

§ 9. Restat, ut summam versuum computemus, quos complexio rhapsodiarum homericarum, quas duodequinquaginta esse constat, continet. Dindorfiana igitur Homeri editione pro fundamento posita si iam versuum summas, quae singulis rhapsodiis continentur, uno in conspectu ponemus, invenietur:

Continet Iliadis Rh.

Α : 611	versus	Ν : 837	versus
Β : 877	-	Ξ : 522	-
Γ : 461	-	Ο : 746	-
Δ : 544	-	Π : 867	-
Ε : 909	-	Ρ : 761	-
Ζ : 529	-	Σ : 617	-
Η : 482	-	Τ : 424	-
Θ : 565	-	Υ : 503	-
Ι : 713	-	Φ : 611	-
Κ : 579	-	Χ : 515	-
Λ : 848	-	Ψ : 897	-
Μ : 471	-	Ω : 804	-

Summa: 15693

Continet Odysseae Rh.

α : 440	ν : 440
β : 434	ξ : 533
γ : 497	ο : 557
δ : 847	π : 481
ε : 493	ρ : 606
ζ : 331	ς : 428
η : 347	τ : 604
θ : 586	υ : 394
ι : 566	φ : 434
κ : 574	χ : 501
λ : 640	ψ : 372
μ : 453	ω : 548

Summa: 12106.

Quorum numerorum si summam fecerimus, efficietur:

$$15693 + 12106 = 27799.$$

Quae quidem summa est omnium versuum, qui Iliade et Odyssea continentur.

§ 10. Quibus computationibus confectis si iam summa versuum, quos complexio fabularum scenicarum magnis Dionysiis editarum fere continet, cum altera illa versuum summa, quae in Iliade et Odyssea inest, comparabitur, ita tamen, ut numeri isti sat incommodi ad rotundos, quos dicunt, numeros redigantur, inveniemus inter summas istas, quas littera S numeris 1 et 2 subscriptis designabo, hanc proportionem, quam mathematici dicunt, intercedere:

$$S_1 : S_2 = 20000 : 28000 = \text{(fere) } 3 : 4.$$

Concedendum est igitur fabularum scenicarum, de quibus agitur, ambitum epopoeiarum ambitu fere quadrante superari. Neque tamen neglegendum erit in utriusque acroamatis diuturnitate aestimanda non modo numerum versuum in censum venire, sed etiam illud respici debere, quod spectacula scenica propter chori cantica, quae ad symphoniam et inter tardum saltantium incessum lente et paulatim

decantabantur, aliquanto maius temporis spatium exegisse putanda sint, quam carminum epicorum aeque longorum recitatio.[1]) Iam vero insuper reputantibus nobis Homeri aequales ab heroica aetate proxime afuisse, ipsisque heroibus robore ac ferreo corpore animoque si non pares, at certe non ita multo inferiores fuisse, vix „fidei absonum“ vel etiam incredibile esse videbitur, masculum illud virorum genus posteriolos — sit venia nomini deminutivo a me novato! —, quippe homines multo delicatiores, sedentaria adsiduitate aliquanto superavisse, maiusque pensum „acroamaticum“ a rhapsodis iis imperari potuisse, quam auditoribus atticis imperare scenicis poetis aut artificibus licitum esset.

§ 11. Sic igitur fieri poterat vel potius reapse fiebat, ut epopoeiae homericae per compluria saecula continua festis quibusdam diebus, quibus universa Graecorum gens ad publica sollemnia celebranda eundem in locum confluebat, quae quidem sollemnia ludorum dionysiacorum, qui posteriore aetate exstiterunt, tanquam prolusiones habenda sunt, ab Homeridis rhapsodisque subinde nec ita magnis spatiis interiectis publice recitarentur, eorundemque opera et industria non solum in universum salvae et incolumes, sed etiam, quod paene maioris momenti est, solidae et ab omni dissolutione munitae conservarentur. Comprehendam brevi: antiquissima illa aetate poesis epica, cum aemulis prorsus careret, necdum alia poesis genera exstitissent, universae nationis quasi oculos in se unam convertebat et, ut ita dicam, in artis poeticae regno unice dominabatur; qua ipsa re prohibebatur, ne tantae epopoeiae detrimenta caperent, neve unae alteraeve particulae de solidis poematis delibarentur; nam, cum Homeridae rhapsodique omne studium, omnem operam, omnem adsiduitatem in crebram solidorum carminum recitationem impenderent, et auditores ipsi quoque eadem carmina iterum ac saepius audiendo memoriae quodammodo infigerent, fiebat, ut omnes nominis graeci homines communi Marte carminum illorum, quae in deliciis habebant, thesaurum anxie custodirent, et, quoad per artis scriptoriae imperitiam iis licebat, incolumia servarent.

§ 12. Quemadmodum autem omnium rerum humanarum tandem aliquando mutatio fit, et, uno eodemque tenore aliquamdiu servato, res si non uno ictu, at sensim et pedetemptim prorsus novari consueverunt: ita in fatis erat, ut adsiduae istae Homeridarum et rhapsodorum curae et studia, quibus Homeri epopoeiae per tot saecula incolumitatem suam et integritatem debuerant, artioribus paulatim cancellis circumscripta, in singulos annos decrescerent rarescerentque, postremo autem prorsus exstinguerentur et interirent.

Etenim, cum prioribus saeculis Homeridae rhapsodique in sollemnibus populi congressibus unice regnassent dominatique essent, et tanquam iure „privilegiario“ auditorum attentionem ad sola Homeri carmina advertissent, iam citharoedi, poetae dithyrambici aliique artifices non modo rhapsodorum aemuli atque rivales exstite-

---

[1]) Cf. de hac re: J. Vahlen, Beiträge zu Aristoteles' Poetik. Besonders abgedruckt aus den Sitzungsberichten der philos.-histor. Classe der kaiserl. Akademie der Wiss. Wien, 1865. III, p. 288 e. q. s.

runt, sed etiam temporis, quod plenum et solidum rhapsodis antea concessum fuerat, suam quisque partem sibi poposcerunt; quo necessario factum est, ut rhapsodi, quippe quibus sollemnium instructores iidemque temporum diribitores, ut maligni erant, ad recitandum parum spatii dispensarent, propter temporis angustias in breviorem gyrum compulsi, recitationes suas magis magisque contrahere et coartare cogerentur, nec iam totas, ut antea, Homeri epopoeias uno tenore recitare possent, sed particulas quasdam ex iis delibatas in medium protulisse satis habere deberent. Quid multa? Rhapsodicarum recitationum ambitus, amputari semel coeptus, artioribus artioribusque cancellis circumscribi non prius est desitus, quam res eo deducta esset, ut splendidissima Homeridarum olim acroamata in disiectorum poematiorum declamatiunculas abirent.[1])

§ 13. Ex iis igitur, quae adhuc disputavi, satis apparuisse spero, posterioribus saeculis, cum in poeticis musicisque, quae publice habebantur, certaminibus ad rhapsodorum industriam citharoedorum, poetarum dithyrambicorum aliorumque artificum „cooperatio“ accessisset, ipsisque rhapsodis, ut ita dicam, singulare imperium, quod per tot saecula obtinuerant, a rivalibus istis ereptum esset, fieri non potuisse, quin epopoeiae homericae, ut quae particulatim vel carptim recitari magis magisque consuessent, sensim et pedetemptim totorum corporum speciem prae se ferre desinerent, postremo autem, dissolutae et quasi discissae, in membra disiecta et quoquoversus dispersa abirent. Haec sunt carmina illa διεσπασμένα, διῃρημένα, σποράδην ᾀδόμενα[2]), quae, a magnis illis corporibus epicis avulsa et in corpusculorum formam redacta, per nescio quot saecula deperditam unitatem et manum „copulatricem“ aegerrime desiderasse censenda sunt; quid? quod tempore procedente iam periculum erat, ne carmina homerica prorsus interirent, cum forte fortuna vel divinitus viri exstiterunt, qui carmina ista dissipata, quoad eius fieri poterat, ad pristinam integritatem revocare conarentur.

§ 14. Hoc loco igitur ad tertiam eandemque ultimam carminum homereorum aetatem pervenimus; nam — ut breviter colligam, quae adhuc disputavi — in antealexandrina carminum illorum historia, quae a „docta“ Alexandrinorum aetate, qua ad recentiorum criticorum aetatem quasi via munitur, videtur segreganda esse, tres potissimum aetates distinguendae sunt: prima, qua Homeridarum rhapsodorumque opera integra servata sunt; altera, qua, eorundem industria magis magisque repressa ac paene exstincta, verendum erat, ne funditus perirent; tertia denique, quam in eo est ut explicem, qua intellegentium sollertiumque virorum curis quodammodo pristinam incolumitatem reciperaverunt.

Ac prima aetate, qua thesauri epici custodia atque tutela penes Homeridarum rhapsodorumque collegia fuit, huic muneri paucas vel potius nullas difficultates obstitisse facile largiemur. In quam eandem

---

[1]) Cf. G. Bäumlein, comment. de Homero eiusque carminibus editioni praemissa: p. XII.

[2]) Cf. Fr. Aug. Wolf, Proleg. ad Homerum. p. CXLIII e. q. s. O. Müller, Gesch. der griech. Litt. I, p. 109, 110.

aetatem Lycurgea in Homerum merita incidunt, quibus factum esse traditur, ut carmina homerica ex Ionia, ubi Lycurgum ea cognosse ferunt, Lacedaemonem transferrentur; quanquam huic quidem rei non ita multum tribuo, praesertim cum ad conservanda ea et divulganda parum momenti attulisse putanda sit. Etenim tota haec fama non modo tantam fabularum similitudinem prae se fert, ut vix vera a falsis dignoscere liceat, sed cura ista lycurgea, si qua fuit, adeo nihil, quod sciamus, fructus tulit, ut carmina Homeri nec ex Lacedaemoniorum urbe per Graeciam pervasisse, nec ipsa Sparta radices, ut aiunt, egisse videantur.[1])

§ 15. Prima autem illa aetas, ut dixi, ad exitum vergit tum, cum Homeridae rhapsodique, praecipuo publice recitandi iure spoliati, Iliadem et Odysseam particulatim recitare solidaque corpora in sescenta corpuscula dissolvere coeperunt; indidemque initium capit altera aetas, qua nec Homeridarum rhapsodorumque industria prorsus refrixit, nec hominibus literatis artis scriptoriae usu iam interdictum fuit. Sed neque continuata recitatorum studia neque ars scriptoria magis magisque invalescens prohibere poterant, ne epopoeiae homericae, semel divulsae, in annos magis dilaberentur.

Sed eo ipso temporis puncto, quo metuendum erat, ut carminum homericorum integritas unquam restitui posset, tanquam divina quadam intercessione factum est, ut — sive a Solone, quod apud Diogenem Laertium est[2]), sive ab Hipparcho, quae est Platonis sententia[3]), seu denique a Pisistrato — edictum illud proponeretur, in quo erat, ut rhapsodi Panathenaeis, rerum et temporum ordine accurate servato, carmina homerica nec saltuatim nec desultorum ritu, sed uno tenore canerent, ita quidem, ut perpetua recitatione inter se exciperent — nam hoc sibi vult illud ἐξ ὑποβολῆς vel ἐξ ὑπολήψεως, quod utrumque eodem redit —, sicque, ut ait vir doctus Wolfio aequalis[4]),

---

[1]) Cf. Fr. A. Wolf, Proleg. ad Hom. p. CXXXIX. CXL. W. Müller, homer. Vorschule, p. 59 e, q. s.

[2]) Diog. Laert. I, 57: (Σόλων) τὰ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον.

[3]) Plat. Hipparch. p. 228 B.: (Ἵππαρχος) τὰ Ὁμήρου ἔπη πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνὶ καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διιέναι, ὥσπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσι. Cf. de hac re: Fr. A. Wolf, Proleg. ad Homer. p. CXL e. q. s. Baumgarten — Crusius in prooemio Guilielmi Muelleri libello, qui „homerische Vorschule“ inscribitur, praemisso: p. XXV, adn. 2; ubi virorum doctorum sententiae commemorantur et recensentur.

[4]) Leo Allat. de patria Hom. c. 5. Ipse Wolfius verba ἐξ ὑποβολῆς et ἐξ ὑπολήψεως sic interpretatur (Proleg. ad Hom. p. CXLI): „Videtur mihi Solon hoc instituisse, ut, cum prius singulares rhapsodiae sine ullo ordine rerum et temporum canerentur, — — — ita partes distribuerentur pluribus rhapsodis, ut, alio alium excipiente, deinceps perpetua et commoda ῥαφὴ efficeretur.“ Contra Nitzschius in libello, qui inscribitur „De historia Homeri maximeque de scriptorum carminum aetate meletemata.“ Hannover 1830, p. 30: „Subornatam rhapsodis recitationem sive ita nexam, ut exhiberent, quod recitare iussi essent.“ Idem de Pisistrati edicto p. 39: „ut rhapsodi publice a locis vel omittendis vel immutandis prohiberentur“. Contra Nitzschium exstitit Boeckhius in ind. lect. univ. Berol. 1834, cuius sententiam Baumgarten-Crusius in libri Mülleriani prooemio p. XXV, adn. 2 ita explicat: „Boeckh behauptete (gegen Nitzsch), jene Ausdrücke (ἐξ ὑποβολῆς et ἐξ ὑπολήψεως) bedeuteten den zusammenhängenden Vortrag der Gedichte, so dass ein Rhapsode anfing, wo der andere aufhörte, und so mehrere das ganze Gedicht von Anfang bis zu Ende ohne Unterbrechung hersagten.“

cuius verba idem Wolfius adfert[1], „unum homericae poesis conflaretur opus“.

§ 16. Sequitur, ut videndum sit, quomodo dissona de Solonis, Pisistrati, Hipparchi curis homereis testimonia, quae cum apud alios scriptores tum apud Diogenem Laertium et Platonem inveniuntur, aliquatenus inter se conciliari et ad concentum quendam revocari possint.

Et, ut a Solone ordiar, cuius, ut patriae amantissimus erat, maximopere interfuit, ut Homeri carmina, Graecorum mel ac deliciae, non modo ad pristinam integritatem revocarentur, sed etiam universo populo publice incolumia proponerentur, intellexit ille id fieri non posse nisi ita, ut publicis ludis maximeque magnis sollemnibus panathenaicis, ut quae, cum per complures dies continuos celebrarentur, ad maiores carminum complexiones decantandas satis spatii praeberent, tota carminum illorum corpora uno tenore neque ulla parte omissa recitanda curaret. Quod ut efficeret, publico edicto sanxit, ne in posterum rhapsodi, temere in inane vagati, particulas quasdam ex epopoeiis homericis alicunde, undecumque iis liberet, delibatas et ex libidine inter se mixtas confusasque decantarent, id quod fieri necesse esset, si sine ullo ordine et lege pro suo quisque arbitrio primas quasque partes recitandas sibi eligerent, sed ut ab ovo usque ad mala, ut est in proverbio, utramque epopoeiam recitarent, nusquam aut transiliendo aut transponendo rerum temporumque ordinem turbarent, denique certam quandam legem observarent, qua, si quis rhapsodorum maiorem aliquam alterutrius carminis epici partem legitime recitando absolvisset, statim alius quis in eius locum succederet, indidemque pergeret, ubi ille substitisset; simulque indicem conficiendum et publicandum curavit, in quo singula carminum homereorum capita eo ordine denotata erant, qui in posterum esset observandus.[2] Qua lege constanter servata Execestidae filius sperare posse sibi videbatur fore ut carmina homerea tandem aliquando in pristinum contextum, ex quo saeculorum iniuria evulsa essent, denuo coalescerent, vel, ut simili utar, „disiecti membra poetae“, quorum dissipatione magnorum corporum epicorum unitas in magnam corpusculorum multitudinem abiisset, in pristinam unius corporis compagem includerentur.

§ 17. Iam Solonis vestigiis institit Pisistratus, quem certissima multorum veterum scriptorum auctoritas eo precessisse testatur, ut primus carmina homerea ex rhapsodorum ore excepta literis mandanda curaret, in eamque fere duorum librorum formam redigeret, quam a nostrorum exemplarium forma non ita multo abhorruisse verisimile est; neque probabilitate caret, quod quispiam suspicetur, Iliadem et Odysseam ab eo demum sic esse inscriptas. In administrando autem negotio suo Pisistratus ita versatus est, ut, Hipparcho filio compluribusque viris doctis iisdemque poetis, ex quibus Onomacritus Atheniensis, Orpheus Crotoniates, Anacreon Teïus, Simonides Ceus nominatim commemorantur, in societatem ascitis, singulas

[1]) Proleg. ad Hom. p. CXL. adn. 4.
[2]) Cf. G. Bäumlein, comment. de Homero eiusque carminibus editioni praemissa: p. XIV.

Iliadis et Odysseae partes a rhapsodis, qui multi tum aut ipsis Athenis habitabant, aut, incepti Pisistratei fama allectati, undique eo confluebant, deinceps recitari simulque a velocibus scriptoribus calamo excipi iuberet, sicubi vero rhapsodorum „textus“, qui dicuntur, inter se dissiderent, eam lectionem reciperet, quae universo virorum doctorum collegio optima videretur esse. Quo in negotio quas potissimum artis criticae leges Pisistratidae eorumque socii sibi praescripserint, adeo non liquet[1], ut eas indagare odorarive velle nihil aliud sit nisi saxum sarrire. Illud vero constat, Pisistrato primum carminum homereorum exemplar publica auctoritate sancitum deberi[2], quod in posterum quasi norma quaedam esset et regula, qua controversiae de „textus“ homerei constitutione coortae componerentur et dirimerentur.

§ 18. Quae Pisistrati in Homerum merita quodsi cum Solonis meritis contulerimus, apparebit quidem hunc quodammodo iam effecisse, ut dissipata Homeri carmina in pristinum ordinem redigerentur; sed confitendum tamen erit Solonem Homeri in perpetuum conservandi munus incohasse demum et incohatum reliquisse; nam corpora illa epica a Solone restituta ne sic quidem ullo alio vinculo continebantur et solida servabantur nisi lege illa, qua rhapsodi carminum homereorum perpetuitatem atque tenorem neglegere vel interrumpere vetiti erant; qua lege abolita neglectave statim periculum incidit, ne corpora ista rursus in corpuscula vel singula membra dissolverentur.

Multo firmiore autem custodia Pisistratus epopoeiarum homerearum incolumitatem tutam praestitit et tanquam circumsaepsit, utpote qui litteris consignatas eas duplici volumine includeret, quo scilicet in capsa reposito et insuper sigillis centumque clavibus munito cavere licebat, ut ab omni iniuria integra manerent atque intacta. Brevi praecidam: nos posteri maximam gratiam illi habere debemus, qui eximia cura et diligentia praecaverit, ne carmina ista in mille particulas resolverentur, sicque effecerit, ut nocturna diurnaque manu ea versare nobis concessum sit; Pisistratus enim nisi Homero summopere periclitanti ac iam paene membratim emorienti iusto temporis puncto succurrisset, vereor, ne posteriores critici, ne Alexandrinis quidem exceptis, in restituendo eo oleum et operam perdituri vel potius poematis radicitus scilicet exstinctis ad nihilumque revocatis emendatrices manus ne impositituri quidem fuerint.

§ 19. Iam considerantibus nobis, carmina homerea tum, cum Pisistratus ea colligenda et ordinanda curaret, tot saeculorum aestum aegre sustinuisse multisque hominum aetatibus iam fuisse superstitia, procedente autem tempore, ut demonstravi, eorum ordinem magis magisque perturbatum esse atque confusum, in eoque iam fuisse, ut in sescentas particulas dissolverentur, — omnia haec igitur considerantibus nobis facile liquebit, quam difficile, ne dicam lubricum negotium Onomacrito eiusque sodalibus obtigerit, cum Pisistratus iis mandaret, ut carmina illa colligerent disponerentque. Etenim id iis agendum erat et spectandum, ut ex tot tantisque carminum rhapsodi-

[1]) Bernhardy: „Die diplomatischen Mittel derselben sind unbekannt.“
[2]) „Die Feststellung einer normalen Urkunde“, ut ait Bernhardy.

corum discrepantiis optimam quamque verissimamque lectionem eruerent et in „textum“ a se constituendum reciperent, ut inepta omnia et adulterina repudiarent, ut denique pristinum singularum partium ordinem investigarent et suum cuique locum, quem statim ab initio habuisse videretur, restituerent. Singulis autem partibus ita dispositis, ut quodammodo inter se responderent et convenirent, antiquis illis criticis nihil prius habendum erat, quam ut carminibus multifariam corruptis et depravatis limam adhiberent, imprimisque, sicubi oratio hiaret, verborumque commissura laxata esset, „membra copulativa“ de suo inserendo dissutam dictionis colligationem in integrum restituerent. En, haec est critica illa industria, quae graecis vocabulis διασκευάζειν et ἐπιδιασκευάζειν [1]) appellatur, cuius scholiastes venetus mentionem facit.[2]) Qua in arte exercenda non semper molli brachio rem geri potuisse, immo haud ita raro ad sananda ulcera per tot saecula incurata fortioribus remediis opus fuisse vel caeco apparet. Quemadmodum autem, ut Aiacis Sophoclei verbis utar [3]), graviora vulnera non tam carminum incantamentis quam scalpello fortiter adhibendo egent: ita fieri potuit, ut exactores illi seu politores, quos Fr. Aug. Wolfius vocat [4]), aliquotiens critico suo scalpello adeo ad vivum usque resecare cogerentur, ut mutationes quaedam ab iis factae propter violentiam suam hominibus minus peritis non tam correctoris quam falsarii industriam sapere viderentur; indidemque fiebat, ut vocabulum διεσκευασμένος interdum eadem potestate qua νόθος acciperetur.

§ 20. Magnopere vero cavendum est, ne ea, quae hoc loco de diasceuastarum industria disputavi, ita accipiantur, quasi — quod fuere qui opinarentur — collegium illud virorum criticorum, quos Pisistratus ministros adhibuit, tanquam novum Homerum creaverit et in lucem ediderit, qui antea fuerit nullus.[5]) Immovero nihil aliud fecerunt quam dispersa carmina collegerunt, iisdemque emendatricem imposuerunt manum; si qui loci detrimenta ceperant, iis mederi eosque resarcire conati sunt; sicubi membra quaedam copulativa excidisse videbantur, ea inseruerunt, ut dixi, suppleveruntque. Iidem tamen in immutandis carminibus tam parci fuisse putandi sunt, ut in universum Homerum suum, quoad eius facere poterant, intactum relinquerent, ut mutationes omnino non facerent nisi utique necessarias, ut denique, si quid mutare necessitate coacti animos induxerant, saucii poetae vulnera non sine pia quadam et religiosa veneratione tangere auderent.

Sed vel ea de causa Pisistratidas ab animis impetrare potuisse negaverim, ut carmina homerea prorsus novarent, quod invitis ceteris

[1]) Nostrati sermone dicimus: „nach gewissen kritischen Principien umarbeiten oder überarbeiten“.
[2]) Cf. Fr. A. Wolf, Proleg. ad Hom. p. CLI e. q. s.
[3]) Soph. Ai. v. 581 e. q. s. (Dind.)
[4]) Proleg. ad Hom. p. CLII.
[5]) Similiter docet Grote (History of Greece, Vol. II, London 1846), omnino non fieri potuisse, ut Pisistratus eiusque sodales ex carminibus prorsus nullo vinculo inter se colligatis magna corpora conficeret, unde concludit iam priore tempore inter carmina homerica unitatem quandam intercedere debuisse.

Graecis id fecissent, qui nescio an novum Homerum sibi obtrudi non passuri audacesque novatores cum fastidio repudiaturi fuerint.[1]) Sed contra omnem probabilitatem fingamus, a Pisistratidis prorsus novam carminum homereorum compagem in publicum esse editam. Quid tum? Aut duas videlicet Homeri recensiones — alteram Pisistratidarum, vulgarem alteram — ad Alexandrinorum aetatem pervenisse, aut recensionem Pisistrateam interiisse statuendum esset. At interire non potuit nisi publica fide et adsensione ei recusata. Tantum vero afuit, ut recensio Pisistratidarum publica fide careret, ut criticis Alexandrinis recensionem atticam vulgatae instar fuisse constet; eoque accessit, ut ne ceterae quidem recensiones, quantum ex scholiis venetis concludere licet, de tota carminum compositione atque compage cum Pisistratidarum recensione discreparent.[2])

§ 21. Ceterum retineri non possum, quin hoc loco „unitatis“ impugnatoribus aures vellicem, eosque admoneam, illud ipsum, quod carmina homerea ordinatricibus Onomacritorum manibus non obstiterunt, nec tam invita quam sua sponte in corporum epicorum compagem coaluerunt, gravissimo testimonio esse, inde ab antiquissimis temporibus ipsius auctoris beneficio illud unitatis vinculum inter ea intercessisse; neque enim — buccis inflatis iterum ac saepius clamitando foras nuntiaverim — cantiunculae, quae, communis vinculi prorsus exsortes, per multa saecula particulatim separatimque propagata sunt, repente et necopinato tanquam miraculo quodam inter se congruere possunt aut concinere, quasi unitas iis ingenita esset atque innata. Stolidorum est igitur et credulorum sibi persuadere, homines doctos, ut Bäumleini [3]) verbis utar, carmina antiquiora ita refingere, ita ad novum consilium novamque sententiam revocare potuisse, ut forma penitus immutata iam innata quadam necessitudine cohaerere viderentur. Comprehendam brevi: singulis maiorum poematum partibus unitas, quae inter eas intercedit, statim ab initio ab ipso poeta ingignitur, non, si diis placet, medicina quadam posterorum criticorum arte inseritur, ac ne tum quidem inseri posset, si magna talium medicorum cohors undique concurreret. Cui „axiomati“ si quis fidem denegaverit, de eo prorsus desperandum esse censemus.

§ 22. Proximum est, ut de Hipparcho [4]) dicamus, quem edicti Solonei memoriam redintegrasse vel refricuisse Plato tradidit. Quod cur fecerit, non ita difficile est intellectu. Etenim, cum rhapsodis a Solone lege quidem praescriptum esset, ne rerum temporumque ordinem neglegerent, iisdem tamen iustum et solidum carminum homereorum exemplar litteris consignatum deesset, quod, sicubi de ordine isto incerti erant vel haesitabant, consulere possent, propter memoriolae humanae sescentiens vacillantis imbecillitatem fieri non potuit, quin tempore procedente interdum a recto ordine paululum declinarent, etiamsi in universum seriem tenerent; in universum, inquam: nam Solon, ut dixi, indicem conficiendum curasse videtur, in

[1]) Cf. Friedländer, die homer. Kritik von Wolf bis Grote p. 13.
[2]) Cf. G. Bäumlein, comment. de Homero eiusque carminibus editioni praemissa: p. XVIII e. q. s.
[3]) Comment. de Homero eiusque carminibus p. XVI.
[4]) Cf. Fr. Aug. Wolf, Proleg. ad Hom. p. CLIII e. q. s.

quo maiora quidem rhapsodiarum capita uno in conspectu posita fuisse credibile est, non item omnes earum particulas aut minora intervalla, ad quae subtilissime enarranda volumine opus fuisset. Quae cum ita sint, suspicor, Hipparchum, ut recti ordinis neglegentiae in posterum vitarentur, non satis habuisse Solonis edictum denuo publicare — hac quidem condicione addita, ut rhapsodi Panathenaeis unice eum ordinem sequerentur, qui exemplari a patre publice constituto praescriberetur[1]), — sed etiam indicem illum, in quem carminum homereorum capita deinceps relata erant, cum scilicet mancus esse videretur nec satis locuples, quam maxime supplevisse et amplificasse.

§ 23. Relinquitur, ut strictim dicatur de curis criticis Alexandrinorum, qui carminibus homereis emendandis antiquitus extremam manum imposuerunt; nam illud temporis intervallum, quod inter Pisistratidarum et Alexandrinorum aetates interiacet, transilire licet, quanquam „textum" carminum illorum eo ipso temporis intervallo multis immutationibus, neque iis mediocribus, obnoxium fuisse inde concludere licet, quod aliquot scriptores, qui Alexandrinorum aetatem antegrediuntur, velut Plato, Aristoteles, Aeschines, Hippocrates, ex homereis carminibus et totos versus et hemistichia adferunt, quorum in nostris aut textibus aut scholiis aut apud Eustathium ne vestigium quidem apparet.[2])

Homines alexandrini igitur hoc statutum habebant, et tanquam axioma, quod nulla argumentatione egeret, studiis suis homereis quasi fundamentum substraverant: cum carmina Homeri perfectissima et absolutissima generis epici exemplaria et essent et haberentur, utique necesse esse normam criticam, qua ad ea emendanda uterentur, huic perfectioni respondere eoque redire, ut, summa acerrimi iudicii subtilitate adhibita, ad pristinam perfectionem, cuius saeculorum iniuria iacturam fecissent, revocarentur. Quid quaeris? Alexandrini illi, ut nimium diligentes erant et morosi, carmina homerica adeo ad unguem castigare et perpolire studebant, ut, ab omni macula ac labe liberata penitusque expurgata, et poesis et grammaticae existimatoribus pariter satisfacerent et probarentur; quidquid enim aut ab homericae poesis indole aut a dictione Homeri aut denique a syntaxis homereae legibus vel paululum abhorrere iis videbatur, id statim virgula illa censoria, obelo, notabant et exsilii condemnabant. Quam in partem longe ultra modum egressus esse fertur Zenodotus, a quo tot versus locosque immutatos, interpolatos, eiectos esse scholiastae testantur, ut poeta, qui in suis ipsius operibus retractandis versatus esset, vix maiorem immutandi corrigendique licentiam exhibere potuerit; qua Zenodotea iudicii severitate Aristophanes et Aristarchus ita abstinuisse videntur, ut paulo plus cautionis et temperantiae adhibuisse dici possint.

§ 24. Iam quaerentibus nobis, quid de homereis illis criticorum Alexandrinorum studiis existimandum sit, illico liquebit bonos istos

---

[1]) Cf. W. Müller, homerische Vorschule. Edit. alt. p. 68.
[2]) Cf. Fr. Aug. Wolf, Proleg. ad Hom. p. XXXVII, CCLX e. q. s. Heyne, edit. Hom. Tom. VIII, p. 789. W. Müller, homer. Vorsch. p. 144.

toto caelo errasse, utpote qui pristinam quidem integritatem Homero restituere studerent, sed eam ipsam integritatem, nescio qua fatali caecitate capti, cum perfectione omnibus numeris absolutissima confunderent; eamque causam fuisse, cur Homeri carmina non tam ad nativam istam simplicitatem, quae poetarum ab ipsa natura factorum propria est, revocarent, quam ei invito nimiam artem, ne dicam adfectationem quandam et morositatem obtruderent, quae aestheticis quidem, quas dicunt, et grammaticis posterioris aetatis legibus respondet, eadem tamen ab antiquissimae poesis natura et indole maximo opere abhorret: quam libidinosam Alexandrinorum curam Wolfius[1]) cum castigatrici Ramleri nostri cura commode comparat. Ergo Alexandrini, cum artem criticam factitantes posthomericae aetatis normam adhiberent, quidque Homero dignum, quid indignum esset, de suo et ex suae aetatis opinionibus diiudicare vellent, in eam potissimum partem peccasse existimandi sunt, ut Homerum non ex ipso Homero, quae quidem ratio unice vera est, sed ex legibus extrinsecus adlatis aestimare et emendare animos inducerent, iidemque poetam ab ipsa natura factum adeo non agnoscerent intellegerentve, ut cum poetis nimiam artem adfectantibus in unam eandemque capulam eum conicerent.

Neque mirum est Alexandrinos a recta Homeri intellegentia tantopere abhorruisse; nam cum, abolito pristino rerum statu et condicione rerumque publicarum conversione facta, omnia prorsus novata essent, adeo nulla cum prioribus aetatibus contagio iis intercessit, ut stupore quodam sensus, quippe cui adversus tristem antiquitatis austeritatem callus, ut aiunt, esset obductus, propriam antiquissimae poesis naturam non iam sentire possent, sed, ut docti de schola erant, in quaestionibus homericis tractandis omnia iusto minutius et scrupulosius scrutarentur. Quo in genere eos docto Pisistratidarum collegio multo inferiores fuisse vix quisquam infitias ibit; etenim, cum homericam aetatem multo propiore contagione attingerent, necdum hiante multorum saeculorum intervallo ab ea seclusi essent[2]), tantum afuit, ut, minutiarum studio impulsi, in subtilissimos artis criticae gyros et maeandros aberrarent, ut, vegeta nativae istius poesis conscientia imbuti, quid Homerum aut deceret aut dedeceret rectissimo iudicio internoscerent, nec in variis rhapsodorum „textibus" aestimandis incerti haesitarent vel etiam vacillarent. Ista autem Alexandrinorum „trias", quanquam varia eruditione instructa et praeclarae bibliothecae thesauris adiuta, de Homero non uno nomine merita est, tamen nescio an eidem quodammodo nocuerit, ut quae ne cavere quidem potuerit, ne recentiores critici cum alii tum Lachmannus, eorum exemplo impulsi, ubivis locorum discrepantias, corruptelas, interpolationes odorarentur, neutri epopoeiae sescentos obelos non apponerent, denique divina illa carmina scrupulosissime scrutando, discerpendo, dilacerando ultra omnem modum evagarentur.

---

[1]) Proleg. ad Homer. p. CCXXXI.
[2]) Cic. Tusc. disp. I, 12, 26: Antiquitas, quo propius aberat ab ortu et divina progenie, hoc melius ea fortasse, quae erant vera, cernebat.

CAPUT ALTERUM.

De epopoeiis homericis ipsius Homeri ingenio conditis et Homeridarum cura ad posteros propagatis.

> „Es muss Einem, wenn man sich in einige Gedichte (Homer's) hineingelesen hat, der Gedanke an eine rhapsodische Aneinanderreihung nothwendig barbarisch vorkommen; denn die herrliche Continuität und Reciprocität des Ganzen und seiner Theile ist eine seiner wirksamsten Schönheiten."
>
> Schiller.

§ 25. Schilleri illud ex epistula quadam ad Goethium data desumptum cur huic potissimum quaestioni praefixerim, et cur idem illud dictum meum fecerim, ex ipsa hac mea quaestione satis apparebit. „Si quis", inquit poeta celebratissimus, „carmina aliquot homerica lectitando perceperit, fieri non poterit, quin sibi persuadeat, sententiam criticorum istorum, qui Iliadem et Odysseam rhapsodorum industria consutas vel conglutinatas, aliasque earum partes ab aliis poetis confectas esse, barbaros decere; neque enim singulae solum carminum partes, sed etiam tota carmina, si qua alia virtute, mirifica quadam perpetuitate et congruentia excellunt." Neque aliter iudicavit Goethe, qui, cum diu anxie haesitasset, utrum Wolfii doctrina vera esset an falsa, ac paene invitus de carminum illorum unitate desperasset, tandem, chorizontes istos, qui dicuntur, ad unum omnes exsecratus, palinodiam cecinit, persuasissimumque habuit utrumque carmen uni et eidem auctori deberi. Huc accedit, quod ipsi veteres Graeci ante Alexandri Magni aetatem de pluribus Iliadis et Odysseae auctoribus ne somniarunt quidem, immovero unum et unicum suum Homerum non sine religiosa quadam pietate reveriti sunt; tantaque iudicibus illis dilectissimi poëtae, cuius praeclara carmina iam pueruli in schola lectitassent primoribusque labris gustassent, sanctitas fuit, ut, si quis de unica et quasi inseparabili unius Homeri dignitate detrahere laureamque eius coronam in plures corollas procaciter discerpere ausus esset, indignabundi eum sacrilegii damnaturi fuerint. Quae omnia recentioribus criticis dicta sunto, qui, tale sacrilegium committere minime verecundati, summa summi poetae carmina in sescentas particulas dissecare tamque misere detruncare, discerpere, dilacerare non erubescunt, ut disiecti membra poëtae commiserationem non movere non possint. Ne multa: divina illa poëmata, quorum compositionem ad rhapsodos referre ex principum germanicorum poëtarum iudicio barbarorum est, quae quasi sacrosancta esse universa antiquitas una voce clamat, eadem — incredibile dictu — a nostrae aetatis criticis omni dedecore et iniuria adficiuntur ac paene pedibus conculcantur.

§ 26. Sed ad horum criticorum genus, qui ultima crudelitate in poëtam insontem saeviunt, alio loco revertar. Alterum genus est eorum, qui, quanquam ipsum Homerum nec debito honore privant, nec in membra concisum volunt, tamen animos inducere non possunt, Maeonium vatem epopoeias suas uno velut tenore unaque perpetuitate

condidisse: eos dico, qui Homerum ingenii sui fetus, stabili ac firma maiorum epopoeiarum ratione omnino non descripta, singulatim et quasi minutatim edidisse statuunt; quo in numero est Joannes Minckwitzius [1]), qui, quanquam de poesis homericae natura multa recte subtiliterque disputavit, tamen istum studiorum homericorum scopulum minime vitavit.

Cui sententiae iam nunc, in primo huius quaestionis velut limine, mihi intercedendum est; nam falsarum opinionum refutatione ad veri cognitionem via munitur. Laborat autem ista sententia eodem vitio, quod Lachmanni doctrinae inhaeret; neuter enim — neque Minckwitzius neque Lachmannus — satis explicare potest, unde carmina homerea admirabilem suam unitatem nancta sint. Quodsi Homerus poemata sua tam disperse diffuseque panxisset, ne divinitus quidem fieri potuit — iterum ac saepius eandem cantilenam cano —, ut ex disiectis illis particulis tanti ambitus poemata, et ea tam artificiose disposita atque digesta, componerentur: nisi vero quis credere posse sibi videtur, Amphionem, ab inferis excitatum, arte sua effecisse, ut, quemadmodum lapides in murum, ita dissipata poetae membra in unum corpus sponte coalescerent. Atque rem tam inauditam, tam incredibilem, tam portentosam, quae paene miraculi instar est, fieri potuisse sibi persuasit Minckwitzius, cum dicat, cura et opera hominum atticorum, qui carminibus homericis colligendis in ordinemque redigendis praefuisse dicuntur, factum esse, ut disiecta ista poëmatia, quae pro materia vel argumento ab iis disposita et ordinata esse ait, in unum corpus redigerentur, continuumque librum efficerent.[2]) Proinde quasi admirabilis illa Iliadis et Odysseae unitas cum praeclara concinnitate et singulari omnium partium aequalitate copulata non tam divino divini poetae ingenio quam mero casus ludibrio debeatur.

§ 27. At, inquies, quam tandem originem mira illa carmina habuisse putanda sunt? unde explicatur tanta artis poeticae perfectio absolutioque in poematis scilicet, quae ultimae antiquitatis indicia prae se ferunt? Quoad eius facere potero, rem exponere conabor.

Plerique, ut hinc ordiar, Iliadem et Odysseam ab uno eodemque poëta confici potuisse ea de causa negant, quod dubitant, num sit unius hominis, et eius artis scriptoriae prorsus ignari, tantas epopoeias componere totque milia versuum in memoria coacervare ac retinere: quo fit, ut carmina illa et pluribus auctoribus deberi nec tam uno tenore continuove tractu quam particulatim vel minutatim confecta esse statuant. At omnes difficultates, quae „unitatis" defensoribus obici possunt, evanescent, opinor, si nobiscum reputaverimus, quo fere modo talia poemata, priusquam ars scriptoria inventa esset, vel potius in consuetudinem venisset et usum, nasci non tam potuerint

---

[1]) Vorschule zum Homer. Stuttgart, Krais und Hoffmann, 1863, p. 225: „Zum Zweiten habe ich darzuthun, dass Homer die Gesänge der Ilias und Odyssee, ohne einen festen Plan für zwei gesonderte Epen, stückweise oder bruchstückweise geschaffen hat."

[2]) Vorschule zum Homer, p. 120: „Viertens muss bewiesen werden, dass die künstlerische Verbindung der beiden Epen, soweit dieselbe künstlerisch ist, und wie sie heutzutage vorliegt, lediglich das Werk der attischen Redaction ist."

quam debuerint. Quam quaestionem ita instituam, ut antiquissima tempora atque aetates posteriores recentioresque inter se comparem.

§ 28. Ad ingenii opera igitur procreanda duae potissimum animi vires efficaces sunt: ingenii vis, qua ipsae res rerumque dispositio et enarratio inveniuntur, memoriaeque vis, qua inventa custodiuntur et ab oblivione vindicantur.

Atque aetatibus posthomericis, ex quo homines litterati, aut in lectulo recubantes aut mensae scriptoriae adfixi, libros suos conficiunt, iisdemque varia supellectile scriptoria — ceris, membranis, charta, stilo calamoque — uti licet, quibus instrumentis postea charta lintea pennaque anserina et chalybeïa successerunt, poëtarum industria si non unice, at tamen maxime in facultate ingenii seu in inventione et excogitatione, quam Cicero dicit[1]), nititur et vertitur, iidemque memoriae adminiculo multo minus egent, cum, sicubi haesitant, quid in prioribus operis partibus scripserint aut non scripserint, ad rem diiudicandam librum manuscriptum, quem prae se habent, evolvere iis liceat.

At longe secus res se habebat antiquitus, cum poetae, propter artis scriptoriae imperitiam nec libro manuscripto nec ullo alio memoriae adminiculo adiuti, ad custodiendum carminum compositorum thesaurum memoriae vi tantopere niti cogerentur, ut reminiscendi recordandique vis vix minoris iis aestimanda esset quam altera illa vis inveniendi excogitandique; nam, quidquid ingenii vi invenerant, id propediem oblivioni obnoxium futurum erat, nisi tenacissima memoria anxie custodiebatur.

§ 29. Iam quaeramus, quam late inveniendi excogitandique vis apud antiquissimos poëtas patuerit. Constat autem poëtae epico primo loco id agendum esse, ut argumentum epopoeiae copiamque rerum auditoribus enarrandarum reperiat; quod quidem munus antiquo poetae non ita magnas difficultates praebuit, cum ipsam carminis sui materiem promptam et obviam haberet, ut quae in universo fabularum vel mythorum thesauro poetis reposita esset et reservata, unde facile depromi poterat. Quae cum ita sint, nonne divino consilio videtur destinatum esse, ut vates, qui diis mirifice in deliciis erat, cum in fabulis, quas ex ultima gentis suae aetate memoriae proditas universo populo interpretari divinitus iussus esset, publice enarrandis tum in virtute summorum heroum, qui universae genti eximie cari essent, et quorum praeconem se esse gloriaretur, praedicanda totus esse posset, neve eius vis poëtica, in plures partes distracta, nimis absumeretur? Nam, etiamsi poeta antiquus argumenti et rerum inventione supersederet, tamen vel sic satis spatiosa restitit palaestra, ubi ingenium eius probe exerceretur.

§ 30. Nihil igitur prius habere debebat ille, quam ut ingentem silvam fabularum ex thesauro mythico repetitarum primum aptissima quaeque seligendo ad consilia sua poetica accommodaret conformaretque, deinde vero modo et ratione atque ordine quodam servato ita disponeret, ut epica actio, in exordio carminis momento aliquo excitata, per complures gradationes ad summum gradum eveheretur,

1) Tusc. qu. 1, 25, 61.

hinc autem nonnullis regressibus deduceretur ad exitum. Quae res praeclare illustratur Iliadis exemplo, in cuius introitu Achillis iracundia actio excitatur, cuius gradationes inde oriuntur, quod Achivi, postquam Achilles ex pugna se recepit, Troianorum audacia mirifice aucta, in dies magis in angustias compelluntur; etiam atque etiam eos vexat Hector; Achillis placandi conatus ad inritum cadunt; Troiani, ad murum progressi, Achivis acerrime instant; apud ipsas naves pugna exardescit; fortissimus quisque Graecorum vulneratur; iam in eo est, ut naves a Troianis incendio deleantur — Sed derepente omnia mutantur, quasi peripetia quaedam irrueret illarum similis, quibus in tragoediis omnium rerum conversio efficitur: Patroclus, Achillis armis indutus, pugnae se immiscet et ab Hectore caeditur; quo ipso loco epica actio perpetua gradatione sursum evecta ad summum gradum pervenit, simulque omnia in contrarium vertuntur. Achilles, ira omissa, in gratiam cum Agamemnone redit et, in pugnam reversus, Hectorem occidit, cuius corpus, ut humanitatis legibus satisfiat, patri redditur amplissimoque funere effertur.

§ 31. Haec omnia dici vix potest quam scite callideque disposita sint, nec fieri potest, quin auditores lectoresve crescente Achivorum calamitate auctaque rerum implicatione, quae ex implacabili Achillis ira nascitur, mirifice capiantur et delectentur: prae qua eximia Maeonii vatis sollertia recentissimorum nostrae aetatis scriptorum molimenta, quibus insatiabilem lectorum aviditatem explere student, eo magis ad nihilum recidunt, quod Homeri ars simplex et nativa est, plerique recentiores autem paene nihil nisi putida quaedam et molesta artificia conficere possunt.

Sed nihilo tamen setius egregia haec disponendi componendique ars, quam Homerus maximo opere callet, et ad quam subtiliter explicandam pluribus voluminibus opus esset, nescio an inferior sit et minoris aestimanda quam incredibilis illa ingenii celeritas vel animi inflammatio ardorque, quo vates „penna udam humum fugiente“ quasi ad astra enititur, quo, divino quodam spiritu adflatus, „mente diviniore et ore magna sonaturo“ praeditum ac poetae nomine dignissimum se esse tam splendide testatur, ut vel delicatissimi fastidii homines tantam poesis magnificentiam maiestatemque cum stupore quodam non contemplari non possint.

§ 32. In quibus poesis homericae luminibus, ut exempla adferam, splendidissimam illam „Scamandriae pugnae“ descriptionem ponendam esse duxerim, cuius incredibilis vis tanta est, ut ne Francogallica quidem eius interpres sibi temperare possit, quin mirabunda exclamet: ex suo iudicio nullam aliam rhapsodiam esse, ubi Homerus tantam vim poëticam exhibeat, ubi mentis incitatio, qua poeta altius adsurgat, quae eadem tamen semper sublimis sit et temperantiae cancellis circumscripta, tanto impetu prorumpat.[1]) Eodemque rettulerim praeclarum Iliadis locum, ubi Hector Andromachae filioloque valedicit, Achillis et Priami congressum, quocum nullam aliam antiquae poesis

1) M. Dacier ad Iliad. Φ: „Il n'y a point à mon avis de livre dans Homère, où il y ait tant de force de poésie, et où l'imagination du poëte, toujours sublime et toujours sage, paraisse avec tant d'éclat.“

„scenam“ conferri posse Odofredus Müller ait[1]), inlustres illas pugnarum descriptiones ac paene sub aspectum subiectiones, quarum iucunda varietas sescentis similibus, et iis splendidissimis, etiam augetur, Ulixis et Telemachi, eiusdem Ulixis et Penelopae inter se „agnorisis“ seu agnitio — Quis est, qui omnia haec totidem divini Homeri ἀριστείας esse neget, in quibus poetica eius virtus exsultet? Sed quid opus est plura? Etenim in ipsum adytum, ubi Musarum sacerdos, in altissima meditatione defixus, non solum aequalibus suis, sed etiam ultimae posteritati mysteria sua enuntiare et aperire studuit, omnino nemini, nedum nobis posteris, quorum aetas ingenti saeculorum hiatu a poetae aetate distat, penetrare licet. Nihil igitur restat nisi ut id ipsum, in quo eminentissima Maeonii vatis virtus cernitur, religioso quodam silentio praetereamus.

§ 33. Vidimus igitur — ut in pauca conferam, quae adhuc disputavi —, argumentum rerumque enarrandarum copiam antiquo poetae epico in mythorum thesauro ita praesto fuisse, ut vix esset, cur materiae traditae multa de suo adderet; eo plus studii autem et ad mythos conformandos et ad totum carmen bene componendum materiemque scite disponendam eum adhibere debuisse; gravissimum vero eiusdem munus eo rediisse, ut, divino instinctu concitatus, maximas gravissimasque res et sententias ingenii sui vi proferret et venusto poeticae dictionis vestitu exornaret.

Quoniam igitur de iis poetae provinciis dixi, ad quas administrandas ingenii poetici vi et facultate opus fuit, sequi videtur, ut videamus, quatenus antiquus poeta memoria eguerit, et quam late eius vis patuerit.

Quam rem reputanti mihi efficacitas memoriae, qua Homerus indigebat, duplex fuisse videtur. Ac primum quidem memoriae adminiculo ne tum quidem prorsus carere poterat, quoad in conficiendo opere occupatus erat; deinde vero multo etiam magis eo egebat universo opere absoluto et ad finem perducto. Quem utrumque locum iam deinceps considerabo.

§ 34. Atque, ut inde explicatio mea proficiscatur, inter nascentis operis progressum poeta epicus iterum ac saepius ad memoriae subsidium confugere coactus est, ea quidem de causa, quod ei anxie cavendum erat, ne, rerum enarrandarum ordinem seriemque oblitus ac temere in inane vagatus, a regione viaque, quam statim ab initio, carmen suum adumbrans, actionis epicae cursui designaverat, prorsus aberraret: id quod fieri non poterat nisi ita, ut semper probe reminisceretur, quo continuae actionis loco tum ipsum versaretur, quomodo singula inter se cohaererent, quid antegressum, quid secuturum esset; qua recordatione neglecta vix fieri potuit, ut actionis epicae progressus iis, quae antecessissent, plane responderet. Ne longius: Homerus in epopoeiae, quae tam lato ambitu erat, velut labyrintho utique egebat Ariadnaeo quodam filo, quo tanquam duce in longinquo itinere poetico haesitantis poetae „passus regerentur“ [2]); egebat certis quibusdam viae indicibus, qui regione, quo cursus iam dirigendus

[1]) Gesch. der griech. Litt. I, p. 84.
[2]) Ovid. Heroid. 10, 72.

esset, commonstrata digitos, ut dici solet, intenderent ad eminentes actionis epicae locos, quorum mero aspectu commonefactus, ubi locorum versaretur, et quoad progressus esset, illico recordaretur.

§ 35. Sed qui tandem sunt illi viae indices iidemque haesitantis memoriae adiutores, quorum monitu poeta, quotienscumque itinere deerraturus erat, totiens in rectum tramitem revocabatur? Quoad eius fieri poterit, rem exponam.

Si quis igitur summaria rhapsodiarum Iliadis et Odysseae vel veloci oculo percucurrerit, facile animadvertet maiora quaedam capita vel quasi quasdam rerum perpetuitates ipso rerum ordine tam evidenter distinctas esse, ut minora velut corpora internoscere liceat in universum corpus epicum indita vel inserta, quae manifesto prae ceteris partibus exstent et emineant, proinde quasi se conspici velint. Iam reputantibus nobis, Iliadem et Odysseam — nam de ceteris epopociis temporis iniquitate deperditis reticeo — magna corpora esse ex multis corpusculis composita[1]) minus late quidem patentibus illis, sed tamen sat spatiosis amplisque, statim apparebit prorsus nullo modo fieri potuisse, ut humana memoria, ne si capacissima quidem fuisset, opera tam ingentia tamque late diffusa perciperet et retineret. Quae cum ita sint, statuere debebimus, antiquissimos poëtas epicos et rhapsodos ad artificia quaedam confugisse, quae tanquam levamina essent, quibus negotium memoriale adlevaretur, vel, si mavis, adminicula, quibus memoriola iusto infirmior niteretur.

§ 36. Iam quaerenti cuipiam, quaenam artificia ista sint, respondeo, tametsi prorsus nihil de iis memoriae proditum sit, tamen ne hodie quidem in obscuro esse, qualia fere fuerint, quanquam ea, quae dicturus sum, ex coniectura mea fluxerunt.

Atque unum ex adminiculis istis, quibus antiquissimi poëtae epici haesitantem, ne dicam labantem memoriam fulcire studebant, ea in re positum fuisse arbitror, quod primum, cum totum corpus epicum una comprehensione complecti non possent, quasi illud „divide et impera“ sibi praescripsissent, corpus istud particulatim vel membratim ac paene dixi corpusculatim, si tale verbum exsisteret, composuerunt, quae quidem corpuscula singillatim animo perceperunt, non quo soli memoriae ea inculcarent, sed, ingenii vi quam maxime incitata, singulas singulorum corpusculorum „actiones epicas“ [2]) imaginibus animo fictis incluserunt, ita quidem, ut singulis corpusculis singulae imagines plures actiones epicas inter se copulatas complexae responderent, et „per visiones“, ut verbis quintilianeis[3]) utar, „imagines actionum illarum animo sic repraesentarentur, ut oculis cerni vide-

[1]) Permultum interest inter hanc meam sententiam et perversam istam opinionem Lachmanni et Lachmannianorum, qui arbitrantur Iliadem ex singulis poëmatiis conflatam esse, quae per multa saecula, prorsus inter se seiuncta, omni communi vinculo caruerint, et multo posteriore demum tempore in unum corpus redacta sint, cum ego e contrario statuam, poetam opus suum ex singulis quidem partibus composuisse — nam omne artificium ex singulis partibus constare necesse est —, sed ita tamen, ut in conficiendis partibus illis operis sui universitatem minime neglegeret, immo diligentissime eam spectaret et opus suum ex solido, ut aiunt, fingeret.
[2]) Germanice: „epische Handlungen, Vorgänge oder Scenen“. Ne nimia verborum obscuritate lectores fatigem, „actionis“ vocabulo hac sententia uti mihi liceat.
[3]) Inst. orat. 6, 2, 29.

rentur ac praesentes haberi". Spreta igitur memoriae infirmitate ad singularem ingenii vim confugerunt, quippe qua paulo vehementius incitata totas rerum perpetuitates vel series, quas ipsa memoria vix aut ne vix quidem retinere vel comprehendere potuisset, nullo negotio menti possent obicere.

Quibus praemissis sequi videtur, ut videamus, quales tandem illae „actionum epicarum" perpetuitates fuerint, quibus singulis imaginibus inclusis et ita uno tenore menti obiectis antiquissimos poetas epicos memoriam adiuvisse dixi. Quam rem ut accuratius exponam, ad Iliadem — nam ea ipsa exemplo nobis esto — recurram.

§ 37. Id igitur ago — consulto lectorum memoriae rem iterum ac saepius inculco, ne explicationem meam perverse interpretentur —, ut singula actionis epicae „momenta"[1] multo facilius memoriae imprimi posse demonstrem, si memoriae vim incitatiore ingenii vi adiuveris, sive singulas res non solum recordando memoriaque refricando, sed etiam, ut posterioris latinitatis vocabulo utar, „imaginando" tibi finxeris animoque conceperis. Idque ita instituam, ut primum corpus Iliadis in corpuscula dissecem, et singula actionis epicae momenta deinceps ieiuna et arida enumeratione ante oculos ponam, deinde autem ex tota hac actionum epicarum compage complexiones quasdam desumam, et unamquamque earum grandi tanquam imagine includam, qualem poetica velut visione vatis animo obversatam esse credibile est.

Conspectus sedecim priorum Iliadis librorum.

§ 38. Primum igitur id mihi agendum est, ut Iliadis argumento simpliciter enarrando totum carmen in sua elementa quasi dissolvam, qua in re ita versabor, ut singulas particulas numeris notem.

1. Precibus Chrysae, sacerdotis Apollinis, qui filiam pretio redemptum in castra venerat, ab Agamemnone cum ignominia repudiatis, ingruit pestilentia, quae causa est, cur Achilles Briseïdem reddere iubeatur.

2. Propter Briseïdis iacturam ira correptus, ex pugna se recipit Achilles, cuius matri, Thetidi, Iuppiter pollicetur Achivos cladibus adfectum iri, dum filio satisfactum sit.

3. Utroque exercitu in aciem educto, Paris Menelaum ad certamen singulare provocat, ea quidem lege, ut victor Helenam eiusque bona praemii loco auferat. Quod pactum praesente Priamo sponsione interposita sancitur.

4. Foedus ab utroque populo initum duplici perfidia — nec Helena Menelao victori reddita et Menelao a Pandaro dolose vulnerato — rumpitur, quo facto, saevitia utrorumque etiam atque etiam augescente, pugna instauratur, quae cum diu anceps steterit, tandem

[1] Germanice: „die hervorragenden Punkte oder Momente der epischen Handlung, und zwar entscheidende, die Handlung vorwärts treibende". Eadem fere sententia Cicero vocabulo momenti utitur Mur. 2: perpendens momenta officiorum omnium. Ubi Halm: „die Bestimmungs-, Entscheidungsgründe, was für alle Obliegenheiten den Ausschlag giebt". Similiter hoc loco: die Motive der Handlung, welche für den Fortschritt derselben den Ausschlag geben.

Diomedis potissimum virtute res eo deducitur, ut Troianorum acies in fugam se inclinet.

5. In quibus rerum angustiis Hector, Heleni admonitu matrem hortatus, ut pro salute Troianorum vota nuncupet, et dono Minervae oblato Diomedis iram averruncet, uxoremque ultimum adlocutus Paride comite in pugnam redit, et fortissimum quemque Achivorum ad certamen singulare provocat; quocum congreditur Aiax Telamonius, sed, diu frustra proeliati, imminente nocte, donis inter se datis, discedunt. Indutiis deinde factis corpora caesorum sepeliuntur.

6. Redintegrato proelio ubi aliquamdiu incerto Marte pugnatum est, tandem Achivi, quibus opitulari Iuno et Minerva a Iove prohibentur, semel atque iterum ad munimenta repelluntur, in quibus inclusi tenentur a Troianis, qui in ipso campo ignibus accensis excubias agunt.

7. In summas angustias compulsus, Agamemno, clam nocte proceribus convocatis, in patriam redeundi consilium proponit, quo reiecto et excubiis pro munimentis castrorum locatis, inter cenam de reconciliandis inimicitiis ad Achillem legatos mittere constituunt, quos benigne quidem exceptos infecta tamen re ille a se dimittit, non solum omnia Agamemnonis promissa aspernatus, sed minatus etiam se propediem in patriam esse rediturum. Qua repulsa adflictos principes benigno adloquio erigere studet Diomedes.

§ 39.[1] 8. Insigni fortitudine Agamemnonis Troianorum acies, magna clade adfecta, in fugam inclinatur; ipse Hector, ad urbis moenia usque repulsus, Agamemnonis violentiae aegre resistit, donec Atrida vulneratus ex pugna se recipit.

9. Troiani, ab Hectore inflammati, Achivos reiciunt, quorum acies Diomedis, Ulixis, Aiacis opera restituitur; sed paulo post ex pugna recedunt Diomedes et Ulixes: ille a Paride vulneratus, hic, a Soco vulnere accepto, a Troianis circumventus pugnaeque Menelai et Aiacis opera aegre ereptus. Paridis sagittis vulnerantur Eurypylus et Machaon, quem Nestoris curru praetervehentem conspicatus Achilles exploratum mittit Patroclum, qui a Nestore omnibus precibus obsecratur, ut aut ab Achille Achivis salutem impetret, aut ipse, armis achilleïs indutus, iis adsit. Quod factum iri pollicito Patroclo in reditu obviam venit Eurypylus vulneratus, cui in tentorium deducto ille medetur.

10. Achivis intra munimenta compulsis iam in eo est, ut Troiani, fossa superata, ipsis navibus immineant. Ad pedes degressi et in quinque catervas dispertiti progrediuntur; Asius, portam adgressus, a Lapithis cum magna suorum strage repellitur; Hector Polydamante dissuadente magno impetu munimenta perrumpere conatur, quae Achivi, ab utroque Aiace instigati, acriter defendunt. Aliam muri partem adgrediuntur Sarpedon et Glaucus, quibus Menestheus, ab utroque Telamonis filio adiutus, vehementer repugnat; tandem, Epicle a Teucro vulnerato, Sarpedon muri pinnam revellit; sed etiamnunc

[1] Doloneam, quam „episodii" instar quasi extra actionis epicae contextum positam esse Eustathio teste iam veteres pro comperto habebant, consulto praetermisi.

Achivi violentum Lyciorum impetum coërcent, donec Hector, porta ingenti saxo discussa, suis viam ad naves patefacit.

§ 40. 11. Munimentis superatis Troiani Achivos trucidant, quibus Neptunus, Calchantis specie indutus, principes ad repugnandi perseverantiam cohortando inscio Iove opitulari studet; uterque Aiax aliique Hectorem a navium incendio propulsant; Idomeneus cum Merione sinistro exercitus lateri succurrere student; Iove Troianis, Achivis Neptuno favente atrox pugna cooritur, qua in pugna Idomeneus ceteris virtute antecellit, ut qui Merione adiutore multos Troianos aut interficiat aut repellat; ipso Hectore ab Aiacibus aliisque reiecto Troiani recedunt, quos collectos Hector Polydamantis hortatu denuo ad pugnam instigat, quae, Aiace praesertim urgente, magno utrimque strepitu redintegratur.

12. Nestori propter tumultum per castra resonantem ex tentorio egresso, ut rerum statum exploret, occurrunt Diomedes, Ulixes, Agamemno, cui iterum fugam suadenti adversatur Ulixes; Diomedes autem impetrat, ut omnes in pugnam reversi Achivos ad fortiter pugnandum excitent, quorum animos erigit Neptunus. Iuno, Achivos sublevare cupiens, Veneris cestum mutuata Somnoque Lemno arcessito Iovem in Ida monte uxoriis lenociniis permulsum consopit, quod temporis punctum aucupatus Neptunus Achivorum aciem restituit, qui, Hectore ab Aiace lapide percusso et asportato, Troianos a navibus repellunt, Aiace Locrensi potissimum hostes insequente et trucidante.

§ 41. 13. Juppiter, expergefactus in Iunonemque acerbe invectus, Iridis et Apollinis opera Troianorum vires reficit, simulque futura praenuntiat; Mars, Ascalaphi filii caede ex Iunone audita, eius ulciscendi cupiditate incensus, a Minerva coërcetur. Tum autem Iris Iovis mandatu Neptunum pugna absistere cogit, dum Hector, cui Apollo medicatus est, in proelium reversus Troianorum fortunam redintegrat. Hector Achivos alios caedit, alios in fugam conicit, adiutus ab Apolline, qui aegide quassata Achivis terrorem infert, munimentumque demolitus Troianis ad naves viam patefacit, in quo rerum discrimine Patroclus Achillis auxilium implorat. Pro navibus autem magna utrorumque strage acerrime pugnatur; tandem Achivi in navium ordines se recipiunt; Troiani in naves vehementer inruunt, easque incendio delere student; iam in eo est, ut Hector Protesilai navem incendat, tantoque impetu invadunt Troiani, ut Aiax Telamonius, conto armatus, aegerrime eorum multitudinem sustineat.

14. Achilles Patroclo imploranti concedit, ut, armis achilleïs indutus, cum Myrmidonibus Achivis succurrat. Aiax, Troianorum telis obrutus, iam hostibus resistere nequit, qui navi ignem iniciunt, quo conspecto Patroclus, ab Achille excitatus, armis indutis cum Myrmidonibus in proelium prodit, et simulata Achillis specie hostes tantopere terret, ut in fugam se coniciant, Achivisque incendii compescendi copia fiat. Deinde Patroclus, Troianis in apertum campum repulsis, Sarpedonem caedit, cuius corpus a Troianis aegre Achivis eripitur; quo pugnae eventu superbiens ille hostes ad urbem usque propulsat, in cuius murum ascendit, unde ab ipso Apolline detruditur. Tum vero, Cebrione, Hectoris auriga, caeso eiusque corpore ab

Achivis spoliato et abstracto, ipse Patroclus interficitur ab Hectore, cuius saevitiam Automedon, Achillis curru citatissimo cursu avectus, effugit.

§ 42. Sed nimis diu in enarranda Iliade versatus esse mihi videor,[1]) lectorumque satietati occurrendum esse sentio. Quamobrem ceteris praetermissis iam ad alteram huius quaestionis partem accedam, qua demonstrandum est, quomodo singula ista actionis epicae momenta, quae tantum quod enarravi, in totidem imagunculas visione quadam animo repraesentatas transfigurari, deinde vero hae imagunculae in maiores imagines confundi comprehendique possint. Atque hoc quidem negotio, quo efficietur, ut Iliadis argumentum paucis, sed iis expressis lineis designatum ante oculos nobis proponatur, ita defungar, ut ex priorum sedecim Iliadis rhapsodiarum conspectu, quem supra proposui, complurium particularum complexionem desumam, eas particulas deinceps in imagunculas vel visiones transfigurem, quales poetae animo obversatas esse verisimile est, denique ex his imagunculis maiorem imaginem contexam.

Primum autem quattuor priores, deinde vero sex posteriores conspectus illius particulas tractabo; quod duplex exemplum ad sententiam meam inlustrandam sufficere arbitror.

Prior imago, qua quattuor priores conspectus supra propositi particulae comprehenduntur.

§ 43. Exordium Iliadis igitur cogitatione depingentibus nobis statim se offert sacerdos Apollinis repulsa lata ad litus maritimum accedens deoque supinis manibus supplicans, ut ignominiam sibi inlatam ulciscatur; nec frustra eum precatum esse testimonio est altera imaguncula animis nostris obiecta: videre nobis videmur ipsum deum „arcitenentem“, qui atrae noctis instar minaci trucique vultu de Olympi iugo se praecipitans advolat; exaudire nobis videmur canorum crepitum sagittarum vehementissimo incedentis motu concussarum; tanquam praesentem conspicamur dirum iaculatorem tela mortifera in Achivorum castra mittentem; aspicimus hominum pecorumque corpora telorum vi percussa et corruentia; in litore maris et quasi post scenam cernimus ardentes rogos, ex quibus, sordidum fumum vertice rotantes, flammae evolvuntur, in quos acervatim imponuntur corpora mortuorum.

Sed velut scena mutata alia cogitationi occurrit imaguncula. Contione ab Achille convocata, magnam Achivorum frequentiam undique confluentem conspicari videmur; videmus ipsum Achillem, altercatione cum Agamemnone coorta, truci vultu minantem gladiumque in adversarium stringentem; cernimus denique eundem, belli societate et amicitia Atridae renuntiata, sceptrum in terram conicientem et furibundo impetu ex contione se proripientem.

[1]) Consulto considerateque omnia haec putidissime per digitos enumeravi, ut luculenter appareat, quantopere talis enumeratio, quae vix audita per aurium rimulas elabitur, a „nervosa vivacitate“ differat, qua incitatior mentis vis assurgit; quam in eo est ut exemplis illustrem.

§ 44. Iam mira quadam vicissitudine complures deinceps imagunculae oculos nostros velocissime praeterlabuntur.

Atque primum mentibus nostris se offert Briseïs, certaminis illius auctor, quae, ex Achillis tentorio abducta et Ulixe duce in insulam Chrysen nave avecta, iam patri magnopere laetanti restituitur. Cui imagunculae opposita conspicitur altera Achillis, qui solitarius in litore maritimo adsidens, oculis in maris aequor defixis lacrimisque obortis, matrem implorat, ut ignominiam sibi inlatam a capite suo propellat. En, ex maris undis emersa mater maternis blanditiis eum consolari conatur, eique pollicetur, sese a Iove impetraturam esse, ut filio vehementer laeso abunde satisfiat. Nec promisso suo illa deest: in conspectu nostro ad Olympum evolat, ad Iovis genua se proicit, deique mento attacto omnibus precibus eum obsecrat, ut filii iniuriam inultam impunitamque ne dimittat; cui ille atris superciliis adnuens totum Olympum tremefacit.

§ 45. Denuo inspectantibus nobis scena mutatur: in aperto campo versari nobis videmur; raucum mixtarum vocum murmur armorumque strepitus ex longinquo ad aures nostras accidunt; aër crepitu resonat, quasi equorum ungulae quadrupedante sonitu campum quaterent. En, spectaculum grande et magnificum oculis nostris exhibetur! Spississimam nubem nigro pulvere glomeratam coorientem tenebrasque campis insurgentes conspicamur; undique circumsonamur armorum fremitu, virorum clamore, equorum hinnitu. Utrimque densus hominum globus atra caligine advolvitur; iam ingentes exercituum moles altera alteri oppositae sunt — — —

Sed repentina rerum mutatione facta omnes utrimque obmutescunt; ubique locorum altum silentium otiumque inter armatos; nullus iam sonus ad aures nostras perfertur. At eccum ex Troianorum acie Paridem prodeuntem et fortissimum quemque Achivorum ad certamen provocantem videmus; cernimus ipso Priamo praesente utrosque (Achivos et Troianos) sponsione interposita pactum sancientes victimasque caedentes; cernimus Menelaum Paridemque inter se congredientes, Paridem autem post brevem pugnam superatum ac Veneris opera clam surreptum domumque asportatum.

§ 46. Quibus omnibus oculos nostros velocissime praeterlapsis, aspectum ad se convertit Pandarus Troianus, qui Minervae impulsu Menelaum sagitta vulnerat, quo fit, ut foedere rupto copiisque ab Agamemnone lustratis cum magna utrorumque strage proelium acerrime instauretur, Apolline Troianos, Achivos Minerva ad pugnam instigante. Conspicamur Agamemnonem, Idomeneum, Menelaum aliosque propugnantes et suum quemque adversarium caedentes. Sed quis tandem est bellator ille atrocissimus, qui rapidissimi torrentis instar furibundo impetu per campum vagatur, validissima manu hostes trucidans? Aut oculorum acies hebetata est, aut Tydei filium agnoscimus, quem tremefieri prohibet Pallas Minerva. Daretis filios conspicimus alterum ab eo occisum, fugatum alterum; etsi a Pandaro vulneratur, tamen atrocius etiam in Troianos saevientem eum videmus; cernimus Aenean lapidis ictu ab eo sauciatum ipsique Veneri ab eodem vulnus tanta vi in manu inflictum, ut perterrita atque dolore paene attonita Martis curru ad Olympum revertatur; conspicamur

Aenean a Tydide paene oppressum et ab Apolline vix eius furori ereptum, denique ipsum Martem ab eodem tam graviter vulneratum, ut mugitu edito, tanquam decem milia validissimorum virorum uno ore clamorem tollerent, caliginosae procellae similis et atra nube velatus in caelum ascendat, raptimque e Diomedis conspectu auferatur!

Altera imago, qua sex posteriores conspectus supra propositi particulae comprehenduntur.

§ 47. Insigne exemplum, unde luculenter apparebit, vegeti ingenio res menti ita obici posse, ut coram nobis agi videantur, hoc est.

Etenim omnes illae pugnae, quae „pugnam muralem“ antecedunt, ipsumque circa munimenta proelium incitatiore rerum eminentium cogitatione tanta evidentia animo repraesentari possunt, ut paene sub aspectum subiciantur, ipsique veluti in rem praesentem perducti esse nobis videamur; quae perspicuitas etiam augetur, si omnes istae singulae res ita uno in conspectu ponuntur, ut una sola imagine, sed ea grandi et magnifica, inclusae esse videantur. Quae cum ita sint, proelii muralis pugnarumque, quae id antegrediuntur, imaginem, mentis vi quam maxime incitata, delineare conemur.

§ 48. Fingamus igitur, de Ida monte, unde prospectus in campum troianum latissime patet, pugnas illas a nobis observari.

En, oculis nostris se offerunt magnae duorum exercituum moles ingenti impetu inter se collisae et aestus maritimi ritu perpetuo accessu recessuque ultro citro fluctuantes; conspicamur Achivos in fugam inclinantes; oculis occurrunt Diomedes Ulixes, Machaon Eurypylus graviter deinceps vulnerati; in conspectum nostrum se dant Machaon Nestoris curru citatissimo cursu praetervehens ipseque Nestor Patroclum obviam sibi factum omnibus precibus obtestans, ut Achivos Achillis interventu ab interitu vindicandos curet. Sed satin' ego oculis plane video? Cerno Achivos intra munimenta compulsos, Troianos iam iam navibus imminentes, Sarpedonem pinnam muri revellentem, denique Hectorem ingens saxum tanto impetu in portam ingerentem, ut magno fragore dirumpatur, atque Troianis via ad naves patescat — — —

§ 49. Rursusque alia nobis offertur imago: cernimus Troianos transcenso muro in Achivos inruentes magnasque eorum strages edentes; oculis nostris occurrunt Aiaces aliique Achivi Neptuni hortatu Hectorem a navium excidio aegre propulsantes; inspectantibus nobis cooritur atrocissima pugna, in qua Idomeneus, Aiaces, Hector aliique ceteris antecellunt, multique homines utrimque caeduntur. Paene auribus percipere nobis videmur pugnantium clamorem, morientium gemitum, armorum fragorem; adeoque crescit strepitus atque tumultus, ut Nestor ex tentorio egrediatur quid rei sit exploraturus; in eum incidunt Agamemno, Ulixes, Diomedes, qui, ex vulneribus aegri, a navibus revertuntur; iterum fugam meditatur Agamemno dissuadente Ulixe — — —

Quanta vero et quam repentina omnium rerum conversio fit! In Gargaro, summo Idae montis cacumine, Iovem conspicamur uxoriis Iunonis blanditiis somnoque sopitum, cui temporis puncto insidiatus Neptunus inclinatam Achivorum aciem restituit; ipsum Hectorem saucium nec mentis compotem ex pugna asportatum Troianosque repulsos videmus. Sed paulo post res iterum mutantur: cernimus Iovem experrectum pristinumque pugnae statum restituentem, Hectorem denuo in proelii concursum se praecipitantem ardentemque facem Protesilai navi intentantem, denique Aiacem Telamonium conto armatum ignemque arcentem.

§ 50. At ecce novus terror! — Ex Protesilai nave flammas trepidantes sordidumque fumum vertice rotantes conspicor; densius densiusque flammae fumusque evolvi, cum pulvere pugnae tumultu glomerato misceri, quin ipsum caelum lambere videntur! Atque in media hac turba tumultuque horrifica oculis offertur formido: stricto gladio trucique vultu in scenam se proripit bellator atrocissimus, Myrmidonum grege stipatus — — —

Myrmidonum! Ergo in pugnam rediit formidulosus ille, cuius merum nomen nomen troianum perhorrescit, ipsissimumque eum adesse testimonio sunt arma, quae diro splendore hostibus adfulgent!

Tum vero, horrore perfusi caecoque pavore attoniti, fugam capessunt Troiani, Achillis specie decepti illi quidem; a navibus propulsati, summo impetu ultra vallum in apertum campum se praecipitant.

Praesenti Achivorum intercessione flammarum vis opprimitur, incendium restinguitur.

Tota troiani exercitus moles, quae paulo ante Achivorum castra longe lateque inundaverat, tanquam ex aestuoso maris tumultu reciprocis undis resorberetur, urbem versus revolvitur!

§ 51. Quorsum omnia haec enarro? Ut appareat, multarum rerum perpetuitates quasdam vel series multo facilius in mentem revocari posse, si non tam soli memoriae custodiendae permittantur, quam visionibus quibusdam refricentur, quibus menti obiectis imagines illarum rerum ita animo repraesentantur, ut eas oculis cernere videamur. Nam si id agimus, ut solius memoriae vi magnam rerum multitudinem nobis revocemus, id fieri non posse apparet nisi ita, ut res illas singulas deinceps ex memoriae thesauro depromptas aegre conquiramus; qua in re si vel unus, ut ita dicam, seriei articulus, oblivione haustus, aboleverit, fieri non poterit, quin, rerum continuatione semel interrupta copulaque dempta, cetera omnia oblivione abrepta de memoria excidant.

Longe secus autem res se habet, si magnam rerum copiam, quae velut serie inter se cohaerent, sola memoria parum confisi, ita cogitatione amplectimur, ut singulae rerum illarum formae vel species menti obiectae quasi in unam imaginem coalescant et confundantur; nam cum haec imago ex pluribus singulis membris quidem conflata, sed tamen una sit et solida, patet, ne unum quidem membrorum illorum, quippe quae tenacissima tanquam compage inter se contineantur, excidere posse. Quid quaeris? Quae memoriae vi singillatim demum vel particulatim menti aegre offeruntur, ea cogitatione ingenii-

que vi ita uno in conspectu poni possunt, ut primo statim obtutu velocique oculo percipiantur et comprehendantur. In hoc igitur imagines cogitatione fingendi artificio praeclarum memoriae adminiculum positum esse quis est qui neget? Nec dubito, quin hoc ipsum artificium antiquissimis poetis epicis scilicet animorum incendio, ut Ciceronis[1]) verbis utar, inflammatis inter ipsam carminis compositionem[2]) levaminis instar fuerit, utpote quo artificio ad totum actionis epicae cursum usquequaque in mentem revocandum uterentur. Homerum vero, poëtam ingeniosissimum, ut cui vegetum ingenium in vivido pectore vigeret,[3]) artificio isto tam sollerter in usum suum convertere potuisse arbitror, ut infirmae memoriae medicamentum longe efficacissimum ei inde nasceretur.

§ 52. Ex iis igitur, quae adhuc disputavi, efficitur, poëtam inter ipsam carminis epici compositionem minus memoriae quam ingenii vim intendisse, qua imagines sibi finxerit, quibus multas actiones epicas uno complexu comprehensas incluserit, quarum complexio epopoeiae tanquam formam[4]) praebuerit, quibus menti obiectis poeta ubivis actionis cursum animo suo repraesentaverit, quae denique pro ipsis singulorum carminum epicorum seminibus vel elementis habendae sint, ex quibus poeta creatrici fictricique arte admiranda sua artificia elicuerit. Sed quoniam de carminum homericorum origine mentio incidit, iam accuratius exponam, quomodo grandes illae epopoeiae animo conceptae, ex imaginibus adumbratis in carminum epicorum formam redactae, denique pedetemptim et gradatim ad perfectionem adductae sint.

§ 53. Ipsum igitur argumentum epicum, ut iterum ac saepius dixi, poëtae in promptu erat, utpote quod nullo negotio ex universo mythorum thesauro depromere posset; sed erat ea rudis indigestaque moles, ex qua optima quaeque et consilio suo aptissima diligenter selegit, selecta autem ita disposuit et in ordinem redegit, ut ea sine magna difficultate comprehendere et singula deinceps animo repraesentare posset. Qua in re, ut itidem dixi, mirifice adiutus est ingenii vi, qua paulo vehementius incitata imagines illas sibi finxit, in quibus totas actionum epicarum perpetuitates vel series ita inclusit, ut eas una quasi visione menti obicere et ad revocandas eas memoriae instigatione paene supersedere posset. Quemadmodum autem plastae, toreutae sculptoresque praeparatoria quadam industria proplasmata vel protypa ex argilla conficere consueverunt, quorum imitatione ipsa artificia nascuntur: ita antiquissimi poetae epici imaginibus istis tanquam protypis quibusdam usi sunt, ad quorum exemplum poematia sua epica fingerent et conformarent, hoc tamen discrimine interposito,

---

[1]) Orat. 8, 27.

[2]) Inter ipsam carminis epici compositionem, inquam; nam composito eo et ad finem perducto poëta isto memoriae adiumento iam non egebat; etenim, id quod infra accuratius explicabo, singulis carminis partibus vix confectis et metri rhythmique ornatu vestitis statim Homeridae, discipuli et adseclae Homeri, iis potiebantur, qui communi industria et coniunctis viribus opera ingenio magistri debita certatim memoriae infigere et publice recitare studebant.

[3]) Verba sunt Livii: VI, 22.

[4]) Germanice: das Gerippe oder Gerüst des Epos.

ut poematia illa ipsis imaginibus vel protypis multo perfectiora redderent. Etenim imagines istas ingenii vi suppeditatas animoque conceptas iam fictrici manu totas denuo finxerunt, ita quidem, ut duplici, poeticae dictionis numerorumque, vestitu ornatas eas in epicorum corpusculorum vel poëmatiorum habitum formarent et velut transfigurarent, constanter tamen hac lege servata, ut omnia haec corpuscula eodem colore imbuerent, ut unius eiusdemque corporis partes ac velut membra ea esse ubivis appareret, ut denique ab universae epopoeiae unitate ne uspiam recederent aut abhorrerent. Patet autem fieri potuisse, ut corpuscula illa, quippe quae, ad perpetuam unitatem accommodata, unam eandemque mentem spirarent, nullo negotio in unum corpus copularentur vel potius sua sponte coalescerent.

§ 54. Quid imagines istae, quas dixi, sibi velint, magis etiam apparebit, opinor, si industriam antiquissimorum poetarum cum recentiorum industria comparavero.

Atque recentiores poëtae, qui maiora poëmata, quae quidem ad genus narrativum pertinent, componere sibi proposuerunt, opus suum ita instituere et adgredi solent, ut, penna scriptoria armati, industria, ut ita dicam, praeparatoria speciem poëmatis velut primis lineis designatam, quam ichnographiam Graeci dicunt, in chartam coniciant, qua duce et tanquam viae persequendae indice singulas deinceps operis partes elaborant et perficiunt. Antiquissimi poëtae autem, cum propter artis scriptoriae inscientiam operis sui adumbrationem litteris mandare non possent, aliam rationem excogitare coacti sunt, qua ichnographiae litteris consignatae inopiae mederentur; qua inopia urgente ac paene necessitate impulsi animos induxerunt ingenii vi et facultate tanquam subsidio vocata singularum imaginum thesaurum sibi fingere, quibus in unum collectis universi operis quasi ichnographia efficeretur.

§ 55. Accurata autem singularum partium elaboratio hodie ita fieri solet, ut scriptores, mensae scriptoriae adfixi, oculisque in „adversariis", in quae prima operis sui lineamenta veloci calamo contulerunt vel potius coniecerunt, defixis eius indicia vel monita in consilium adhibeant, quibus, sicubi haesitant aut de actionis progressu incerti sunt, quasi auribus vellicati ea actionis momenta, quae non illico iis praesto sunt, memoria refricent. Qualia „adversaria" cum antiquissimis poëtis propter artis scriptoriae ignorantiam deessent, ad imagines illas ingenii vi suppeditatas animoque conceptas confugerunt, iisque menti obiectis actionis progressum in memoriam sibi revocaverunt. Qua ratione adhibita sensim ac pedetemptim opus suum ad finem perduxerunt, in locum ichnographiarum, utpote quibus carerent, imaginibus, quas cogitatione finxerant, substitutis.

§ 56. Quid vero, si opere perfecto absolutoque iam illud quaerebatur, quo tandem modo tantae epopoeiae, quae ex tot milibus versuum constabant, conservari et ab oblivionis iniuria defendi possent? Tum profecto memoriae tenacitas subsidio vocanda eiusque vi maximo opere intenta temptandum erat, si ea prohiberi posset, ne operum tam pretiosorum artificiosorumque quicquam abolesceret interiretque. Quae carminum homericorum custodia si, arte et scriptoria et typographica repente de medio sublatis, nostrae, recentiorum hominum, memoriae demandaretur, vereor, ne si non funditus perirent, at pauculae tamen eorum reliquiae ad posterorum memoriam propagarentur; sed absurdum ac paene ridiculum est aetatem homericam ex nostrae aetatis modulo ita metiri velle, ut eam memoriae tenacitatem, quae ad carmina homerica conservanda necessaria esse videtur, ab aetatis homericae hominibus nulla alia de causa abiudicemus, quam quod nos ipsi, scilicet ab illis prorsus diversi et in alio cultus humanitatisque gradu constituti, ea careamus. Sed rem tetigi, quae cum universa quaestione homerica tam arte cohaeret, ut facere non possim, quin, quanquam iterum ac saepius ab hominibus doctis tractata est, tamen hoc loco eam subtilissime persequar evidenterque convincam, aetate homerica et res et homines ita comparatos fuisse, ut magnae epopoeiae non ita magno negotio conservari et ab oblivione vindicari possent.

§ 57. Quam explicationem ita instituere mihi liceat, ut nostras res cum antiquissimo rerum statu et condicione, qualis homerica aetate erat, comparem.

Atque nostrae res ita comparatae sunt, ut perquam raro ad solius memoriae subsidium confugere cogamur. Sescentos libros typis descriptos in promptu habemus, qui totidem memoriae tanquam supplementa sunt, vel potius in memoriae vicem ita succedunt, ut eius usu paene supersedere liceat; iidemque ad memoriae vim intendendam adeo non proclives sumus, ut, sicubi quid ab oblivione vindicare concupiscimus, id non tam memoriae infigere, quam veloci stilo in libellum memorialem conferre soleamus; totque, ut brevi praecidam, inertis memoriae subsidia hodie nobis suppetunt, ut, si quis nimia tarditate et ignavia laboraret, eius usu prorsus abstinere posset.[1]) Huc accedit, quod, industria nostra variis negotiis in diversissimas partes distracta, in studiis nostris adeo non toti sumus, ut iustissimo iure diversissimorum studiorum tanquam desultores dici queamus, nec, cum animi nostri rerum varietate distenti sint, iam cogitationes nostras ad unam rem dirigere nobis liceat. Nulla autem re memoriae vis magis corroboratur, quam perpetua exercitatione et arta illa studiorum circumscriptione, qua cogitationes si non in unam solam rem diriguntur, at in exiguum tamen gyrum compelluntur; nam, quo pluribus in rebus occupati sumus, eo facilius singulae res ex memoria elabentur, eoque obliviosiores erimus. Cuius utriusque rei — et continuae memoriae exercitationis et artae studiorum circumscriptionis — cum nos recentiores iam pridem iacturam feceri-

[1]) Artem scriptoriam memoriae vehementer officere iam Iulius Caesar probe scivit. Ait enim eum, qui scribere didicerit, magis litterarum adiumento quam memoriae vi confidere, quo fiat, ut memoriam parum exerceat eiusque vim relaxet et hebetet. Bell. Gall. VI, 14: (Druides) magnum numerum versuum ediscere dicuntur: itaque annos nonnulli vicenos in disciplina permanent. Neque fas esse existimant ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis privatisque rationibus, graecis utantur litteris. Id mihi duabus de causis instituisse videntur: quod neque in vulgum disciplinam efferri velint, neque eos, qui discant, litteris confisos, minus memoriae studere: quod fere plerisque accidit, ut praesidio litterarum diligentiam in perdiscendo ac memoriam remittant. Cf. Minckwitz, Vorschule zum Homer, p. 235 e. q. s.

mus, minime mirari licet, ad tantam memoriae infirmitatem debilitatemque nos esse delapsos.

§ 58. Ab hac nostra condicione autem quam longe diversam priscorum hominum condicionem fuisse dicamus! Etenim industria eorum vix dici potest quam simplex fuerit, ut qui studia sua contractissimis finibus circumscriberent angustissimoque velut circulo includerent, iidem vero in ipsarum rerum, quas paucissimas simplicissimasque tractandas sibi sumpserunt, et paucitate et simplicitate tam toti essent, ut a ceteris omnibus abhorrerent, easque solas incredibili animorum ardore et inflammatione amplexarentur. Qua ipsa studiorum circumscriptione et simplicitate factum est, ut nec animi vires in diversas partes distraherent, nec nimia diversissimarum rerum mole memoriam onerarent vel etiam opprimerent, quae ob ipsam rerum, quas percipere cogebatur, simplicitatem eo maiore tenacitate ac paene dixi mordicus eas retinuit; nam, animi viribus nimia rerum varietate et dissimilitudine non diductis, ipsa memoriae vis adeo corroboratur et crescit, ut intra angustum gyrum, in quo versatur, incredibilem rerum copiam non solum percipere, sed etiam firmissime tenere possit. Haec est prima illa eademque felicissima aetas et tanquam infantia generis humani, qua in hominum ingeniis puerilis simplicitas cum sagacitate omnium rerum speculatrici tenacissimaque memoria quasi mixta est: quae eadem est indoles puerulorum, qui, ut vegeto ingenio praediti necdum studiorum varietate distracti sunt, vel minutissima quaeque investigant ac sensibus percipiunt, simulque tam firmiter memoriae infigunt, ut senioribus stuporem iniciant.

§ 59. Sed ad hoc memoriae firmandae adiumentum, quod in studiorum simplicitate positum erat, accessit alterum, quod in perpetua exercitatione versabatur, qua Quintiliano iudice[1]) ars memoriae maxime nititur. Etenim prisci illi homines carebant, ut dixi, libris, quos evolutos de iis, quae ex memoria elapsa essent, consulerent; scripturae usu interdicti, carebant instrumentis scriptoriis et libellis memorialibus, in quos ea, quae oblivione deleta nollent, accurate referrent. Comprehendam brevi: antiquissimi homines non poterant, quin memoriam perpetuo exercerent, ad eandemque tanquam ad fidissimam omnium rerum custodem semper confugerent; quemadmodum nos libros nostros libellosque memoriales adire consuevimus, ita isti memoriam adire solebant, quippe in quo velut in thesauro omnia ea coacervata essent, quae scitu iis esset opus. Quantum autem perpetua haec exercitatio ad memoriae vim corroborandam valuerit, non est cur exponam. — Neque de homericae aetatis hominibus solum omnia haec dicta sunt, sed omnino cadunt in omnes homines in inferiore cultus humanitatisque gradu constitutos, qui propter artis scriptoriae ignorantiam memoriae adminiculo egent.

§ 60. Quodsi consentaneum est homines, qui in simplicissima vitae condicione nutriti et educati sunt, ea ipsa de causa, quod nec cetera memoriae subsidia nec ars scriptoria iis suppetunt, eximia

[1]) Inst. orat. 11, 2, 40: Si quis tamen unam maximamque a me artem memoriae quaerat: exercitatio est et labor; multa ediscere, multa cogitare, et si fieri potest cottidie, potentissimum est.

nobisque admiranda memoriae vi excellere: quanta denique memoriae tenacitate eos praeditos esse censebimus, qui rhapsodorum ritu insuper artem memorialem profitentur et amplexantur, qui in totis carminibus ediscendis versantur, qui denique, ut Quintiliani[1]) verbis utar, etiam atque etiam eadem revolvendi et quasi eundem cibum remandendi taedio devorato iuvandae studio memoriae operam dant! Nonne necesse est eos, ut ait idem Quintilianus[2]), studio illo „per singulos annos prorogato“ et versuum carminumque, quae memoria tenent, numero perpetua accessione in annos aucto tandem „in summam ad infinitum usque pervenire“[2])? Hinc autem simplicissimam explicationem habent incredibilia ista, quae de ingenti memoria vatum illorum traduntur, qui aut cithara instructi aut assa voce usi per Scotorum, Calmyccorum, Italorum urbes et agros vagantes cantorum circumforaneorum ritu popularibus auditoribus carmina sua decantant; quae quanquam harum rerum scriptores iterum ac saepius attulerunt, tamen, cum ad totius quaestionis perspicuitatem augendam idonea sint, hoc loco strictim commemorare non pigrabor, minime veritus, ne, ut ait Iuvenalis, miseros lectores crambe repetita occidam.

§ 61. Atque, ut hinc ordiar, ad rhapsodorum homericorum similitudinem nescio an proxime accedant „bardi“ scotici: quemadmodum enim illi aliunde alio migrabant, ut Homeri carmina publice recitarent, ita inde ab antiquissimis temporibus usque adhuc senes Scotorum vates montanas Scotiae regiones peragrant, qui, tametsi nec scribendi nec legendi artis gnari sunt, tamen tot Ossiani poëmata memoria tenent, ut, si ex media eorum turba primum quemque eligeres, eique promptissimum scribam adiungeres, hoc quidem monitu, ut carmina, quae ille dictaturus esset, veloci calamo exciperet, poëmatum ossianorum recitator per complures hebdomades uno tenore dictare pergeret, antequam thesaurus carminum in eius memoria coacervatorum esset exhaustus.[3])

Maxime vero huc quadrare mihi videtur carminum homereorum cum Dschangariade comparatio, quae Calmyccorum epopoeia ex CCCLX capitibus vel libris constare perhibetur, quorum quisque rhapsodiam homericam ambitu fere aequiperat. Singuli autem Calmyccorum vates cum non minus vicenis fere libris memoriae infixos habeant, efficitur, complexionem eorum carminum, quae memoriter recitare isti possint, Odysseae vel etiam Iliadi ambitu vix cedere.[4]) Ac ne apud eos quidem populos, qui orientem spectant, similia desiderari testes sunt peregrinatores, qui illas regiones peragrarunt et descripserunt.[5])

Restat, ut extemporalium istorum poëtarum italorum mentionem faciam, qui in publicis viis plateisque, magna auditorum corona stipati, non solum ex improviso, uno in pede stantes, singulis horis ducenos versus effundunt, sed complures etiam „stanzarum“ centurias,

[1]) Inst. orat. 11, 2, 41.
[2]) Ibid. 1, 1, 19 et 11, 2, 41.
[3]) Cf. G. Thornton in: Transact. of the Americ. philos. society at Philadelphia. Vol. III. p. 314 e. q. s. Wolf, Proleg. p. CIII. adn. 74.
[4]) Cf. Bergmann, nomadische Streifereien. Vol. II. p. 313.
[5]) Cf. Iones, Asiat. Researches. T. II. p. 14.

si hoc vocabulum proprie dicere licet, ex epico Tassonis carmine, quod „Hierosolyma liberata" inscribitur, desumptas memoriter decantare consueverunt; neque tamen unquam carmen illud legerunt, nedum lectitarunt, sed unum alterumve eius librum, dum ab alio quodam decantabatur, auditu perceptum ita memoriae infixerunt, ut versus semel arreptos in omne tempus firmiter teneant.

§ 62. Quorsus haec exempla pertinent? Ut videlicet appareat per memoriam profecto stare non potuisse, quominus carmina homerica per multorum saeculorum spatium salva fere et incolumia ad posteritatem pervenirent; nam si Scoti, Calmycci, Itali, quae quidem gentes Graecis ingenii facultate et sollertia longe cedunt, carmina sua popularia memoriae vi ab interitu vindicare potuerunt, quidni homines graecos, quippe omnium mortalium ingeniosissimos sollertissimosque, ea ipsa carmina, quae universae Graecorum nationi in deliciis fuisse scimus, memoriae vi maximopere intenta ab oblivione vindicare potuisse credamus, praesertim cum ad eximiam memoriae vim, quae cum ceteris illius aetatis hominibus tum rhapsodis praesto erat, aliae, neque eae minores, opportunitates accederent, quibus opera carmina homerica memoriter percipiendi posterisque conservandi miro modo levabatur. Talia autem memoriae levamina vel carminum epicorum conservandorum auxilia tria potissimum distinguenda sunt: primum rhythmi seu cantus numerorumque adiumentum, deinde crebrae eorundem aut hemistichiorum aut versuum aut totorum locorum repetitiones, denique omnium Homeridarum rhapsodorumque ad Homeri carmina in posteros propaganda „cooperatio". Quod triplex subsidium et tanquam telum, quo minime profecto mediocri carminum illorum conservatores instructi erant, iam deinceps nobis considerandum est.

§ 63. Atque, ut a rhythmo vel numerorum adiumento exordium capiamus, inter omnes constat, homines nullo negotio et velut ludibundos omnia ea percipere, quae numeris vincta vel astricta sint, multo difficilius autem memoriae infigi, quae numeris sint soluta, eoque difficilius, quo solutiora.[1]) Haec ipsa autem numerorum vis mirum quantum etiam augetur versuum recitatione, quae non solum magna sublataque voce, sed etiam summo vigore et impetu numerose modulateque peragitur, qua quidem fit, ut ipsa verba, cum gravissime sonent, vehementerque ad aures accidant, incredibili quadam vi quasi in ipsam memoriae sedem penetrent, ibidemque firmiter inhaerescant.[2])

§ 64. Quae quam recte disputaverim, sescentis exemplis ex ipsa vita repetitis comprobare mihi licet, ex quorum largissima copia pauca selegisse satis habebo. Etenim mera carmina modis musicis denu-

---

[1]) Haec causa est, cur Quintilianus praecipiat, in memoriae exercitationibus gradationem quandam esse observandam, ita quidem, ut tirones, a versibus orsi, sensim ac pedetemptim ad solutiora numeris progrediantur, ut igitur primum poëtarum, deinde vero etiam oratorum et iurisconsultorum opera ediscant. Inst. orat. 11, 2, 41 extr.: Poetica prius, tum oratorum, novissime etiam solutiora numeris et magis ab usu dicendi remota, qualia sunt iurisconsultorum.

[2]) Simile quid apud F. A. Wolfium legitur, quanquam eius verba alio spectant. Proleg. ad Hom. p. CV.: „Imprimis vero recitatio ipsa, vivido impetu et ardore animi peracta, infirmaverit oportet memoriam." Cf. Gruppe, Ariadne p. 631: „Wir sind jetzt belehrt, dass Vers und Metrum selbst, zumal mit Gesang und wohl gar Tanz verbunden, als mnemonische Hülfsmittel, ein Surrogat der Schrift hergeben."

data, etiamsi iterum ac saepius perlegantur, tamen multo maiore negotio memoriae imprimuntur, quam vel longiora cantica modis musicis excepta, quae tanquam ludibundi memoria percipimus vel potius arripimus, praesertim si incitatissimo animi vigore atque ardore aut ab aliis aut, quod maioris etiam momenti est, a nobismet ipsis decantantur. Ac ne res scholastica quidem talibus exemplis caret, quo pertinent versus illi memoriales, quibus magna voce numerose modulateque recitatis efficitur, ut ipsae res, quae versibus istis continentur, puerorum recitantium memoriae incredibili vi inculcentur, quam quidem inculcandi rationem paedagogi quidam non sine magno successu ita adhibent, ut, ipsis pedum digitorumque ictu sonum vocis modulantibus singulaque intervalla signantibus, discipuli praecepta quaedam grammatica versibus memorialibus inclusa in numerum sublataque voce recitare iubeantur, quo facile fit, ut singula praeceptorum grammaticorum verba ac syllabae, cum gravissimo sono ad aures accidant, in memoria insideant penitusque inhaerescant. Quod tamen artificium memoriale non recentiores demum paedagogi invenisse putandi sunt; immovero iam antiquitus eandem vel certe simillimam inculcandi rationem in usu fuisse ex Aeliano discimus, quo teste apud Cretenses lege cautum erat, ut pueri leges domesticas inter nervorum tibiarumque cantum ediscerent.[1])

§ 65. Quorsum igitur haec tam multa de numeris? Ut perspiciatur, quam ingentem ac paene incredibilem vim numerosa carminum epicorum recitatio ad versus rhapsodorum memoriae inculcandos non habere non potuerit; eoque accessit mirifica animi inflammatio ac spiritus paene divinus, quo vates, Musarum sacerdos et interpres virtutisque summorum heroum praeco, abripiebatur, cuius vi scilicet ipsa quoque memoria, si quando tarda erat cessabatque, etiam atque etiam exstimulata, ad maiorem alacritatem incitabatur. Inter ipsam igitur recitationem duplex memoriae incitamentum vati adiumento fuisse apparet: divinum illum instinctum vel adflatum furoris, quo ut animi ingeniique ita ipsius memoriae vis miro modo augebatur, et continuam cantus numerorumque perpetuitatem, cuius rapido cursu ipsa quoque recordandi vis et facultas ita rapiebatur, ut resistere non posset. Etenim, ut uni simili alterum addam, rhapsodus firmissimis metri rhythmique catenis[2]) tantopere vinctus tenebatur, ut iam ex iis se expedire nequiret, et praeceps violento versuum numerorumque cursu abriperetur; nam orationis numeris astrictae hoc ipsum proprium est, ut et singuli versuum pedes et ipsi versus tanquam nodis herculeis adeo inter se cohaereant, ut non sine magna quadam vi inter se divelli queant.

§ 66. Iam ad alterum memoriae adiumentum accedo, cuius supra mentionem feci, quod quidem adiumentum ita efficitur, ut

---

[1]) Ael. var. hist. II, 39: Κρῆτες δὲ τοὺς παῖδας τοὺς ἐλευθέρους μανθάνειν ἐκέλευον τοὺς νόμους μετά τινος μελῳδίας, ἵνα ἐκ τῆς μουσικῆς ψυχαγωγῶνται καὶ εὐκολώτερον αὐτοὺς τῇ μνήμῃ διαλαμβάνωσι, καὶ ἵνα μή τι τῶν κεκωλυμένων πράξαντες ἀγνοίᾳ πεποιηκέναι ἀπολογίαν ἔχωσι.

[2]) Metaphora a catenis desumpta ne Cicero quidem abstinuit. Pro Sest. 7, 16: Hanc taetram immanemque beluam, vinctam auspiciis, adligatam more maiorum, constrictam legum sacratarum catenis, solvit subito lege curiata consul.

poëta epicus easdem res, quae narratione procedente iterum ac saepius redeunt, iisdem dictionibus eloquendique formulis significare consueverit; unde fit, ut aut hemistichia aut minores etiam versuum particulae aut solidi versus aut denique toti loci iterentur totidemque verbis sescentiens repetantur. Quae iterationes cum ex antiquissimae poësis natura et indole fluxerint, pluribus verbis in iis commorari non abs re fuerit.

Poëtae populari igitur, ut cui cum auditoribus, non cum lectoribus res sit, nihil prius habendum est, quam ut poësim suam tam simplicem reddat et perspicuam, ut ab audientibus facile percipi possit. Unde explicatur, cur non modo narratio et descriptio, sed etiam dictio eloquendique ratio atque ipsa ratio grammatica, quae in paratactica potissimum verborum structura versatur, in Homeri carminibus minime contortae sint et impeditae; quid? quod Homerus, quoad eius fieri potest, omni variatione adeo abstinet, ut nobis recentioribus eius oratio vix satis mutata aut distincta esse videatur. Ne multa: poësis homerica, ut est simplicissima, mirifice abhorret a multiplici et, ut ita dicam, versicolori varietate, qua videlicet periculum est ne ipsius poëtae et rhapsodorum et auditorum attentio nimis distrahatur. Quae ipsa simplicitas homericae omninoque antiquissimae epicae poësis propria est.

§ 67. Hinc igitur repetendae sunt innumerae illae apud Homerum iterationes, quibus iterum ac saepius eaedem res iisdem verbis significantur et describuntur. Quo imprimis pertinent certae quaedam res, quae in rerum natura hominumque vita ex constanti quadam lege vel consuetudine statis temporibus redire solent, velut solis ortus occasusque, diei accretiones et deminutiones, cubitum eundi tempora et quietes nocturnae, inter se confabulantium adlocutiones et responsiones, cottidianae cenae, libationes vinique potationes, assae carnis apparationes, equorum ad currum adligationes demptionesque iugorum, e portu exitiones litorisque appulsus, et si qua alia sunt. Quae omnia identidem sine ulla variatione totidemque verbis a poëta describuntur, quo fit, ut eaedem versus particulae, eadem hemistichia, iidem denique versus totique loci immutati tam saepe recurrant. Quod idem in versuum initia cadit, quae non ita raro eodem eorundem verborum sono aures paene fatigant: velut in proeliorum occisionumque descriptionibus verba ἔνθα, ἔνθ' αὖτε, ἕλε, βῆ δ' ἴμεν aliaque saepissime in versuum frontibus ponuntur; similesque initiorum iterationes permultae inveniuntur in navium indice, velut gentium populorumque enumerationes sic incipiunt: οἳ δ' εἶχον Τρίκκην, οἳ δ' ἔχον Ὀρμένιον, οἳ δ' Ἄργισσαν ἔχον, idque genus alia; ibidemque ipsorum principum ita mentio fit, ut verba ἦρχον, ἡγεμόνευεν, ἄγεν, ἦγε, ἤγετο, ἡγεῖτο identidem redeant. Quarum iterationum indicem nullo negotio adaugere possum, sed ea ipsa, quae attuli, sentio fuisse longiora. Haec igitur hactenus.

§ 68. Quorsum autem spectat haec tanta omnis varietatis neglectio, qua repetitis ictibus eadem incus tunditur, eademque verba eodem semper sono ad aures accidunt? Poëta videlicet quam maximam dictionis narrationisque simplicitatem adfectat, eo consilio, ut et sibimet ipsi et rhapsodis in memoriali negotio exsequendo succurrat, atque imbecilli memoriolae ansas praebeat carmina epica refricandi. Qua in re non est neglegendum, quam ingens discrimen inter antiquissimos illos et recentiores poëtas intercedat. Recentiores enim, qui, stilo aut penna armati et mensae scriptoriae adfixi, libros conficiunt, scripta sua tenuissimis discriminibus distinguere omnique modo variare possunt, de fetuum suorum incolumitate unice securi, quippe qui, litterarum tutela custoditi, omnino detrimenta capere nequeant. Contra ii poëtae, qui arte scriptoria aliisque memoriae subsidiis prorsus carent, rerum suarum angustiis meditari coguntur, ut identidem dixi, quo tandem modo huic tantae adiumentorum inopiae mederi et ad memoriam sublevandam praesidia, quae, aliunde denegata, nisi in ipsorum ingeniis ad excogitandum acutis nulla iis praesto sunt, undecumque sibi possint moliri. Eo autem imprimis pertinet incredibilis illa, de qua dixi, et narrationis et dictionis simplicitas variandique parsimonia: quidquid impeditum, perplexum, tortuosum videtur esse, quidquid aut res aut verba obscura reddere perspicuitatique officere potest, quidquid denique variandi distinguendique spinas vel paululum redolet, id omittunt, removent, tanquam scopulum vitant, ne scilicet memoriola nimis oneretur. Eo accedit, quod stabiles illae iterationes rhapsodis quasi quasdam intermissiones intervallaque praebent, ubi paulisper quiescere et respirare iis licet, priusquam ad novas res progrediuntur. Auditores autem utrum illam narrationis et dictionis simplicitatem aegre ferant, maioremque varietatem desiderent, id poëta, qua nativa morum simplicitate est, minime curat; audientibus videlicet pro subsidiorum suorum paucitate optima quaeque praebet, quae in promptu habet, eorum, quae sui arbitrii non esse scit, mirifice neglegens; qua in re tantam incuriam ingenuitatemque prae se fert, ut tanquam ludibundus negotium suum administrare omninoque is poëta nobis videatur esse, qui in sua provincia, id est in argumento tractando, regnet domineturque; unde ad nativam eius poësim mira quaedam dulcedo redundat, quam in recentiorum poëmatis aegre desideramus.

§ 69. Sed, ut ad propositum revertar — de memorialibus subsidiis enim cum dicerem, ad dictionis homericae simplicitatem delatus sum —, non dubito, quin poëta prudentissimus iterationibus istis rhapsodorum memoriolae succurrere voluerit. Quanquam non unice id spectasse mihi videtur. Nam aut eximie fallor, aut ipsi illi stabiles versus, magna voce et cum gravitate quadam pronuntiati, amplum quiddam et grande sonant; idque ipsum poëtam voluisse credo, ut reciproco eorundem verborum sono recitationis gravitas dignitasque augeretur; nam verba, semel pronuntiata, vix ad aures acciderunt, cum subito, quasi auris auferrentur, animis nostris vix permotis, irrevocabili vi avolant; quaecumque vero, identidem repetita, auribus nostris inculcantur, ea non modo totum corpus pertentant, sed etiam echoica quadam vi per aurium nervulos etiam atque etiam resonant et in intimas animi latebras atque recessus penetrant.

§ 70. Praeterea poëtam iteratis illis id efficere voluisse consentaneum est, ut auditores non modo ipsi interdum respirare, sed etiam totum acroama facilius percipere possent, qua percipiendi facilitate caruissent, si sine ulla intermissione nova dumtaxat necdum audita

intentissimo studio percipere coacti essent. Maxime vero poëta id spectavit, ut dixi, ut rhapsodis memorialis negotii levamentum inde nasceretur, versuumque memoriae imprimendorum numerus aliquanto imminueretur; nec mediocre hoc levamentum fuisse facile concedemus; nam iterata ista tam multa sunt, ut, computata, ingentem versuum summam efficiant, qua pensum memoriale rhapsodis impositum ad multo minorem versuum numerum redigitur. Quantopere autem pensum illud accrevisset, si Homerus ad dictionis varietatem augendam easdem res novis semper ac variis verbis eloquendique formulis exprimere voluisset!

§ 71. Et quoniam de cantus numerorumque adiumento atque de crebris eorundem verborum versuumque iterationibus satis diximus, sequi videtur, ut — de tribus enim, quae proposui, hoc extremum est — de communi omnium Homeridarum ad Homeri carmina conservanda industria exponamus.

Eodem igitur temporis puncto, quo — Minervae exemplo, quae omni ornatu bellico induta ex Iovis capite prosiluit — singulae carminis epici partes, omnibus versus dactylici numerorumque ornamentis vestitae, ex poëtae capite prodierant, statim totus Homeridarum grex, cuius erat Homeri inventa memoriae infigere et ad posteros propagare, fetibus ingenio magistri in lucem editis avidissime potitus est, eosdemque indefessa sedulitate et adsiduitate deinceps ediscere memoriaque amplecti coepit. Tantum igitur afuit, ut poeta singulas operis partes, quae ad finem perductae erant, secum retineret, dum totum opus absolutum esset, ut vix confectas eas et, ut ita dicam, a partu recentes cum discipulis iisdemque administris suis communicaret, qui eas memoria perciperent, etiam atque etiam ruminarentur, denique, quam ipsam artem profitebantur, identidem, quotienscumque occasio data erat, publice recitarent.

§ 72. Quodsi unus alterve mihi obiectaverit, in iis, quae ab Homero Homeridisque hic poposcerim, nimium me fuisse, is vehementer sese errasse scito. Nam ab ipso poëta nihil aliud postulo, quam ut singulas carminis epici particulas per tantundem temporis ad verbum memoria teneat, quanto ad conficiendas eas egeat, cum iisdem confectis statim Homeridae tanquam poëtae vicarii in eius locum successisse eumque ab negotio memoriali, quo parumper functus magister ipsum poëticum officium persecuturus cesserit, liberasse putandi sint.

Sed ne ab Homeridis rhapsodisque quidem iniqua me poscere facile patet, quorum in numero, si ipsorum veterum testimonio fidem habere licet, nemo erat, quin Homeri epopoeias totas memoriae infixas haberet. Quae res cum aliis locis confirmatur tum loco illo Xenophonteo, ubi Niceratus narrat, a patre coactum se totam Iliadem et Odysseam ita edidicisse, ut eas etiamnunc memoriter recitare possit; cui Antisthenes, quasi id minime mirum esset, respondet, idem posse omnes rhapsodos.[1]) Ecce locupletissimum testimonium, in quo

[1]) Xenoph. Conv. 3, 5: (ὁ Νικήρατος) εἶπεν· ὁ πατὴρ ἐπιμελούμενος, ὅπως ἀνὴρ ἀγαθὸς γενοίμην, ἠνάγκασέ με πάντα τὰ Ὁμήρου ἔπη μαθεῖν· καὶ νῦν δυναίμην ἂν Ἰλιάδα ὅλην καὶ Ὀδύσσειαν ἀπὸ στόματος εἰπεῖν. Ἐκεῖνο δ', ἔφη ὁ Ἀντισθένης, λέληθέ σε, ὅτι καὶ οἱ ῥαψῳδοὶ πάντες ἐπίστανται ταῦτα τὰ ἔπη.

iure meo adquiescere possem, si vellem. Quanquam Antisthenes nescio an non veritatis traiectione se abstinuerit; sed, ut rem auxerit, ne sic quidem difficultas augetur, praesertim cum in tanta Homeridarum rhapsodorumque multitudine ne necesse quidem videatur esse unumquemque eorum tam ingens munus praestitisse. Nam in artiorem gyrum memorialem rhapsodorum industriam contrahere nobis licebit considerantibus eos multos fuisse ediscendique negotium aequabiliter inter se potuisse partiri. Neque enim nimis a veritate aberrare mihi videor statuendo, tota utriusque epopoeiae mole Homeridarum familiae ediscendi recitandique causa aequis partibus distributa singulis rhapsodis versuum complexionem obtigisse, quae octo fere vel cum plurimum duodecim rhapsodias ambitu aequiperaret; neque inepte suspiceris, plures Homeridas unum idemque pensum tractandum sibi sumpsisse, ut, si colliberet, in diversas Graeciae regiones sparsi, carminum homericorum notitiam quoquoversus perferre possent. Quae si a veritate non prorsus abhorrent, Homeridis non plus negotii vel muneris imponitur, quam illos Scotorum et Calmyccorum vates praestare supra dixi. Sed ne tum quidem extra probabilitatis cancellos egredi mihi viderer, si statuerem, unumquemque Homeridarum alterum utrum poematum homericorum memoriae infixum habuisse. Nam reputantibus nobis, Homeridas, cum in simplicissimo vitae statu et condicione collocati essent, adeo nullas aut animi vires in diversas partes distrahendi aut memoriae nimia diversissimarum rerum mole onerandae ansas praebitas esse, ut omnes animi ingeniique vires, omnem operam, omne studium in carminibus homericis ediscendis et recitandis consumere iis liceret, nèque aliud quicquam meditari consuessent nisi quo potissimum modo officio suo quam maxime satisfacere possent; tum summo muneris sui exsequendi studio incensos atque divino quodam instinctu impetuque ad artem suam factitandam impulsos eos fuisse; deinde multa memoriae adminicula, velut cantus numerorumque compedem, crebras eorundem verborum versuumque iterationes aliaque id genus subsidia iis suppetivisse; postremo homines in inferiore cultus humanitatisque gradu constitutos eosdemque artis scriptoriae prorsus ignaros incredibili memoriae vi cum ipsi naturae tum adsiduae exercitationi debita praeditos esse; denique multas alias opportunitates Homeridis utilitati fuisse, de quibus nos recentiores ne somniamus quidem: — haec omnia, inquam, reputantibus nobis nonne credibile esse videbitur, homines, qui artem memorialem quasi profiterentur [1]) per omnemque vitam Homero suo ediscendo memoriae-

[1]) Memoriae artem ab antiquissimis poëtis epicis ad magnam perfectionem absolutionemque adductam fuisse non solum credibile, sed tam manifestum est et apertum ut de hac quidem re dubitare stulti sit. Necesse est enim homines artis scriptoriae prorsus ignaros quocumque modo memoriae succurrere studuisse atque mature artificia circumspexisse, quibus memoriae vis, quae per se sola ad maiorem rerum copiam percipiendam retinendamque vix satis capax esset, ita adiuvaretur, ut nihil eorum, quae mens invenisset et excogitasset, oblivione deletum abolesceret et interiret. Atque nonnulla id genus artificia, velut callidum istud poëtae machinamentum negotii memorialis ad visiones revocandi crebrasque eorundem verborum et versuum iterationes, supra attuli. Sed quis definire posse sibi videatur, quot similia artificia — „mnemotechnica“ audaci appellatione dixerim — poëtis antiquissimis praeterea praesto fuerint? Quis denique memoriae vim tam angusto circulo circumscripserit, ut ultra eum egredi prorsus non licere omni pignore contendat?

que inculcando operam darent, tandem eo pervenisse, ut aut Iliadem aut Odysseam aut, quod a se confici posse ne Niceratus quidem, posterioris imbecilliorisque aetatis homo, diffisus est, utrumque carmen memoria complecterentur?

§ 73. Relinquitur, ut ea, quae de carminum homericorum origine disputavi, summatim repetam vel, ut Quintiliani [1]) verbis utar, per capita decurram.

Ipsum igitur argumentum, quod poëta epicus tractaturus erat, in universo mythorum thesauro invenit quidem; sed ea erat quasi quaedam fabularum silva, eaque rudis et indigesta, quae, cum in poëmatis epici formam redigenda ideoque prorsus transformanda esset, fictrici poëtae manu magnopere egebat. Quae cum ita essent, ei nihil prius habendum erat, quam ut operis sui speciem seu formam adumbraret et quasi lineis designaret; sed, cum propter artis scriptoriae ignorantiam inventa sua litteris mandare nequiret, imaginibus animo conceptis et ex visionibus quibusdam coortis ea inclusit. Quod nisi fecisset, periculum erat, ne, si in adumbrando et describendo opere paulo longius processisset, priora inventa ei prorsus exciderent, cum imagines illas, utpote quas non memoriae, sed, ut posterioris latinitatis vocabulo utar, „imaginationi" custodiendas mandasset, nullo negotio usque in mentem revocare posset. Sic igitur singulas futuri carminis partes animo praeformando, quas initio quidem imaginibus includere satis habuit, postea demum versibus eas inclusurus, sensim et paulatim totius poëmatis „ichnographiam" quandam cogitatione finxit; eaque unice vera ratio est maiora id genus poëmata conficiendi, ut, antequam poëticae imagines animo poëtae obversantes versuum numerorumque ornatu vestiuntur, totum opus primis lineis designetur, seu adumbratio illa menti obicitur, id quod antiquissimi poëtae fecisse putandi sunt, seu in chartam conicitur, qui recentiorum poëtarum mos est. Adumbrato autem opere animoque concepto iam poëta id spectavit, ut inventa sua, quae usque ad id tempus eius animo quidem obversata, sed quasi nuda necdum metri rhythmique vestitu amicta fuissent, versibus includeret inanesque et exsangues imagines vividae dictionis velut suco et sanguine compleret. Vix autem singulae carminis epici partes ad finem perductae erant, cum magister eas cum discipulis suis communicavit, qui iam non cunctabantur memoriae eas inculcare iisdemque ita potiri, ut, quidquid magistri sollertia et arte excogitatum et perfectum erat, id sensim et paulatim in communem totius familiae possessionem veniret.

---

[1]) Inst. orat. VI, 1, 2.

CAPUT TERTIUM.

De compositione carminum homericorum. Pars prior: De compositione Iliadis.

§ 74. Quod in „Disquisitionibus sophocleis" propediem edendis [1]) accuratius persecutus sum, dramatum constructionem ad pyramidis similitudinem accedere, id ne ab epopoeiarum quidem compositione abhorret; nam, ab exordio profectae compluresque actionis epicae gradationes emensae, ad summum gradum usque evehuntur, unde actio aliquot regressibus ad exodum delabitur. Qua in re non sunt praetermittenda, quae infra [2]) de duplici et Iliadis et Odysseae „expositione" accuratius disputabo. Etenim in utraque epopoeia binae expositiones inter se distinguendae sunt: una scenica, altera epica; quarum illa, in fronte totius carminis collocata, vividiore suo impetu efficit, ut auditores non sine magna sua voluptate in medias res abripiantur, haec autem in posteriore epopoeiae parte, ubi audientium exspectatio iam satis excitata et erecta est, subsequitur.

Quibus praemissis iam ad Iliadis compositionem accurate evolvendam accedamus, qua ex enodatione appariturum esse spero, quam incredibili arte poëta in singulis actionis epicae momentis disponendis et dispensandis versatus sit: quae scilicet compositio artificiosissima Lachmanno doctore inventrici ipsius mythi operae debetur.

§ 75. (Expositio scenica Iliadis.) Expositionis scenicae est igitur complurium scenarum perpetuitate auditores ita in medium actionis epicae cursum rapere, ut res quasi agi, non narrari videantur; eiusdemque expositionis est efficere, ut auditores in universum de epopoeiae argumento certiores fiant. In universum, inquam; nam ut auditores de omnibus iis, quae ad totum poëma intellegendum scitu necessaria sunt, velut de iis rebus, quae poëmatis initium antegressa sunt, de gravissimis personis, quae actioni epicae intersunt, aliisque gravioribus actionis momentis, accuratius edoceantur, id quidem efficere non tam scenicae expositionis est quam epicae.

Argumentum Iliadis igitur in ira Achillis omnibusque iis rebus versatur, quae ex ea manant. Quam praeclare autem et quam rapido scenarum cursu poëta causam irae et occasionem, qua praebita ea se proripuit, auditoribus depinxit! Filiam pretio redemptum in castra Achivorum venit Chryses sacerdos; ab Agamemnone vehementer increpatur et cum ignominia repellitur. Ad oram maritimam digressus Apollinem precatur Chryses, ut sibi satisfiat; cui obsecutus deus postilentiam in castra Achivorum mittit, quae tanta vi vagatur, ut Achilles ad placandum deum contionem convocet. Cooritur acerrima inter Achillem et Agamemnonem rixa; ingenti ira et indignatione incensus, Achilles Thetidem matrem implorat, ut sibi satisfiat; quod votum ut ratum esse iubeatur, a Iove impetrat Thetis.

---

[1]) § 171. Cf. G. Freytag, Technik des Dramas. Edit. 3. p. 100.
[2]) § 205 e. q. s.

§ 76. Ecce praeclara expositio scenica, qua poëta, qui nil molitur inepte, duplex propositum adsequitur, vel, si in tali re paene vulgari proverbio uti fas est, duos parietes de una fidelia dealbat. Primum enim efficit, ut auditores statim ab initio epopoeiae argumentum omnemque ad canendum destinatam materiam, quam vocat Quintilianus,[1]) primoribus, ut dicitur, labris gustent; nam tota haec expositio Achillis ira iisque, quae inde manant, referta est. Deinde vero summa arte eidem expositioni **ordiendae actionis epicae momentum vel incitamentum,**[2]) quod vocant, intexuit, in quo futurarum actionum causae et semina inclusa latent. Quemadmodum enim in omni dramate actio scenica momento aliquo aut in animo primae personae coorto aut extrinsecus adlato utique eget[3]): ita ne epopoeiae quidem incitamento carere possunt, quo actioni epicae ita quasi motus adferatur, ut per complures gradationes ad summum gradum escendere, inde vero aliquot regressibus ad catastropham vel exodum vergere possit.

§ 77. Quodsi quaerimus, quanam in re momentum illud cernatur, cuius pulsu actio epica Iliadis incitetur, facile liquet, id in Iovis promisso esse ponendum, quo Achilli satisfactum iri Thetidi adfirmat: eodem superciliorum nutu, quo deae precibus se obsecuturum esse adnuit, non modo totum Olympum tremefacit, sed etiam actioni epicae tam vehementem impulsum addit, ut rapidissimo cursu ad summum gradum versus feratur. Etenim Juppiter Thetidi pollicetur filio satisfactum iri, ut dixi; at Achilli ab Agamemnone graviter laeso satisfieri nequit nisi eidem Agamemnoni omninoque Achivis, qui Achilli iniuriam inferri passi sunt, aliis super alias cladibus a Troianis inlatis; ergo necesse est Graecos ab hostibus tantisper premi et in angustias compelli, dum irae Achillis abunde satisfactum erit. Hinc perpetuitates illae gravissimarum cladium, quibus Achivi inde a rhapsodia octava deinceps adficiuntur, donec, gradatim in summas angustias adducti, adeo ad incitas rediguntur, ut, legatione eorum ab Achille ignominiose spreta, iam Troianos ne a muro ipsisque navibus quidem propulsare possint.

Ceterum Juppiter non statim, promisso suo staturus, ipse se actioni immiscet, sed muro demum exstructo: de qua actionis retardatione infra accuratius disputabo, ubi Odysseae compositionem excutiam.[4])

§ 78. (**Expositio epica.**) Expositionem scenicam, quae prima Iliadis rhapsodia continetur, statim excipit altera expositio, cui nomen indidi epicae, quae rhapsodias B—H comprehendit. Quae quid velit, iam supra strictim significavi: eo scilicet consilio poëta, priusquam ipsae actionis epicae gradationes auditoribus deinceps exhiberentur, hoc potissimum loco alteram expositionem inseruit, ut audientes in ipsam actionem magis magisque quasi introducerentur, ut fortissimos

---

1) Inst. orat. V, 10, 9.

2) Recentiores harum rerum existimatores dicunt „das erregende Moment der epischen Handlung".

3) Cf. de hac re: Disquisitiones sophocleae § 166 e. q. s. G. Freytag, die Technik des Dramas. Eidit. 3. p. 105 e. q. s.

4) § 101.

heroës, belli gerendi rationem, civitatum cum Troianis foederatarum vires et opes[1]) aliasque res bellicas cognoscerent, ut heroum et heroinarum originem ac stirpem, quoad eius fieri poterat, edocerentur,[2]) ut denique de multis rebus ipsam epopoeiae actionem antegressis certiores fierent, quo exempli gratia ea pertinent, quae in altera rhapsodia[3]) Ulixes de prodigio illo in portu Aulidensi Achivis divinitus misso deque belli decennis praedictione enarrat, quae in tertia rhapsodia[4]) Hector indignabundus Paridi de Helenae raptu et de effeminatis ipsius raptoris moribus exprobrat, et si qua alia sunt. His autem multisque aliis eiusdemmodi rebus expositis demum et quasi praemissis simulque iis pugnis, quae ad actionem promovendam minorem vim habent, enarratis poëta id spectat, ut gradationes illas deinceps evolvat, quibus actio epica ad summum gradum usque producitur.

Iam ex iis, quae de expositione epica adhuc disserui, apparuisse spero, quam perversa sit dichotomica criticorum quorundam ratio, qui rhapsodiis B—H nescio quam minorem Iliadem contineri sibi persuaserunt, quae in Achilleïdem a poëta initio descriptam ita inserta sit, ut Achilleïs ista, priore epopoeiae designatione amplificata, in Iliadem (maiorem) verteretur. Quod quoniam alio loco[5]) fusius tractavi, hic rem strictim attingere satis habeo.

§ 79. Quodsi omnia ea, quae adhuc disputavi, una comprehensione complector, efficitur, septem priores Iliadis rhapsodias nihil aliud esse quam partes, ut posterioris latinitatis vocabulo utar, praeparatorias, quae ipsam actionem epicam antecedant; ac prima quidem rhapsodia scenicam, sex rhapsodiis, quae eam excipiunt, epicam expositionem contineri. Ab octava demum rhapsodia ipsa actio epica initium capit, quae, excepta Dolonea, rhapsodias Θ—O complectitur. Sed priusquam singulas actionis epicae gradationes percensemus, paulo accuratius exponere necesse est, quid gradationes istae velint, et quo potissimum modo cum universa epopoeiae compositione cohaereant.

§ 80. Atque constructionem et dramatum et epopoeiarum ad pyramidis similitudinem accedere supra docui, quandoquidem actio et scenica et epica ab inferiore parte paulatim ad summum gradum usque ascendat, deinde vero sensim delapsa ad exodum relabatur. Si quis autem ex inferiore quodam loco ad superiorem eniti vult, id fieri non poterit nisi ita, ut compluribus deinceps tanquam scalae gradibus sensim et paulatim se attollat; quae eadem actionis scenicae et epicae ratio est, cum neutra gradationibus quibusdam carere possit, quibus ab exordio ad summum gradum evehatur. Quae gradationes cui legi obnoxiae esse debeant, vel ex ipso gradationis vocabulo quodammodo apparet; necesse est enim singulos actionis gradus ita inter se exsuperare, ut proximus quisque superiori vi gravitateque praestet, alteroque gradu supra alterum se attollente velut scala

---

1) Cf. B 129 e. q. s. E 472 e. q. s.

2) Velut Δ 372 Tydei, Z 150 Glauci, Z 414 Andromachae origo explicatur.

3) B 303 e. q. s.

4) Γ 39 e. q. s.

5) § 201 e. q. s.

nascatur, cuius supremus gradus actionis illius quasi cacumen est, unde deorsum inclinata similique scala delabens ad catastropham ruit.

§ 81. **(Actionis epicae Iliadis gradationes.)** Sequitur, ut singulas gradationes, quas epica actio Iliadis percurrit, accuratius percenseamus.

Gradatio prima. Atque prima quidem gradatio priorem octavae rhapsodiae partem comprehendit, qua altera Iliadis pugna describitur.[1] Quae gradatio quam valida sit, quantamque ad actionem promovendam vim habeat, luculenter liquebit si intellexerimus, quam nihil primum proelium ad actionis progressum valuerit. Etenim primo proelio[2] nihil aliud efficitur, quam ut Troiani, qui in aperto campo Achivis pugnandi facultatem dederunt, Diomedis Aiacisque Telamonii potissimum opera repellantur, quo facto Glaucus et Diomedes inter se occurrunt et agnoscunt, acieque Troianorum restituta Hector et Aiax certamen singulare ineunt, quod, cum neuter alteri cedat, nocte ingruente interrumpitur. Deinde, utroque exercitu abducto, utrimque caesorum corpora sepeliuntur. Tantum igitur abest, ut hac pugna quicquam profectum sit, ut re integra utrique discedant. Quae cum ita sint, non inepte quispiam dixerit primum illud proelium momenti actionem retardantis instar esse.

§ 82. Multo plus autem altero proelio[3] efficitur; nam Achivi, a Troianis intra munimenta coacti, instaurata acie hostes repellunt quidem, sed a Troianis iterum intra moenia reiciuntur, quo facto nox proelio intervenit. Troiani vero, victoria elati, in ipso proelii loco, crebris per campum ignibus accensis, in armis excubias agunt Achivosque per totam noctem obsessos tenent, cauturi, ne fuga se eripiant. Tantusque pavor Graecis iniectus est, ut Agamemno perterritus proceribus convocatis fugae properandaeque per noctem navigationis consilium proponat. En habes magnum actionis epicae progressum, qui quidem ea in re cernitur, quod Troiani, qui usque ad id tempus bellum arcere satis habuerant, iam ultro id inferunt, atque hostes in ipsis eorum castris inclusos tenent. Haec est νυκτεγερσία illa, quae altera octavae rhapsodiae parte continetur, qua cum Achivorum rebus tum Agamemnonis superbiae prima plaga infligitur. Ne Troiani, ut ignavi fuerunt, ad talem audaciam nondum procedere sunt ausi. Quid? Eosdemne istos Phrygios, mulierculas scilicet omnium mortalium effeminatissimas, qui, multo sudore et labore pugna aliqua defuncti, in urbis latibula se abdere consueverant, iamiam adeo os perfricuisse, ut Achivos in angustias compulsos et tanquam laqueis inretitos teneant?! Pro deum hominumque fidem! Nonne ea macula est et ignominia, quae nullo unquam tempore elui poterit?

---

[1]) Nec expositionem epicam nec gradationes actionis nec omnino compositionem Iliadis perspectam habuit Godofredus Hermann, in cuius libro, qui „de emendanda ratione graecae grammaticae" inscribitur, haec leguntur: „Ac septimus quidem atque octavus Iliadis liber plurimas ob causas recentiori nec sane summo poëtae tribuendi videntur". Neque magis Iliadis compositionem, ut Lachmannum taceam, perspexit Friedländer: die homer. Krit. von Wolf bis Grote p. 30 e. q. s. 47.

[2]) Primum proelium enarratur Δ 446 — H 312.

[3]) Alterum proelium describitur Θ 53—488.

§ 83. Gradationes actionis epicae, quae admirabili quadam progressione inter se superant, eo spectant, ut dixi, ut Achivi, cum calamitates calamitatibus continuentur, tandem prorsus debilitati fractique ad incitas redigantur, eique ipsi, quem tanta ignominia adfecerunt, non modo supplices manus victas dent, sed etiam ad eum placandum maria montesque polliceantur. Qua ipsa re efficitur, quod Juppiter Thetidi promisit, ut eius filio abunde satisfiat.

Gradatio altera. Permultum vero ad Iovis promissum exsequendum valet gradatio altera, quae nona rhapsodia continetur. Etenim proceres Achivorum, quos Agamemno, ut dixi, ad deliberationem adhibuerat, in mediis his rerum angustiis legationem ad Achillem mittere decernunt, quae Agamemnonis nomine et mandatu magnis praemiis pollicitationibusque eius animum placare conetur, eiusdemque fidem imploret. Achilles autem, ut inexorabilis et acer est, condiciones sibi oblatas adeo non accipit, ut indignabundus eas spernat, simulque in patriam se rediturum esse minetur. Quo responso a legatis relato animi Achivorum vix dici potest quantopere perculsi ac paene fracti sint; quidquid enim speculae ex legatorum missione degustaverant, id iam prorsus exstinctum videtur esse; tantaque omnium rerum desperatione capiuntur, ut ad animos eorum excitandos confirmandosque benigno Diomedis adloquio opus sit.[1])

§ 84. Iam Achilli si non abunde, at quodammodo tamen satisfactum est: Achivi enim gravissimas iniuriae illi inlatae poenas pendunt; ipse exsultat et triumphat, in sinuque gaudet, quod invisissimus adversarius debitas superbiae suae poenas accipiat.

Quae cum ita sint, quid de Grotio et Friedländero dicamus, qui ad eam audaciam processerunt, ut totam rhapsodiam nonam, qua gravissima ac prorsus necessaria actionis epicae gradatio continetur, accessionem posteriorum diasceuastarum curis debitam esse sibi persuaderent?[2]) Quodsi ars critica tam effrenata libidine exercetur, qua non modo callidissima poëtae consilia temere negleguntur, sed etiam gravissimae compositionis epicae leges paene conculcantur, vel acerrimo insontis poëtae defensori vix aliud quicquam relinquitur, quam ut stupore oppressus obmutescat.

§ 85. Sed, ut ad propositum revertar — de gradationibus enim cum dicerem, ad dichotomicam istam Friedländeri rationem delatus sum —, repulsa illa, quam Achivi ab Achille tulerunt, poëtae ansam praebet tertiae gradationis addendae, qua prioribus gradationibus magnus accedit cumulus; nam, si Achilles, legatorum precibus exoratus, cum Agamemnone statim in gratiam revertisset, calamitas Achivorum adeo non incrementa capere posset, ut poëtae prorsus

---

[1]) Cf. I 695 e. q. s.

[2]) Friedländer, die homerische Kritik von Wolf bis Grote. Berlin, 1854. p. 29: „Das neunte Buch ist ein späterer Zusatz". Cf. G. Curtius, Andeutungen über den gegenwärtigen Stand der homerischen Frage in: Zeitschr. für die österr. Gymn. 1854. p. 93. Eodem fere redit sententia, quam protulit G. Bernhardy (Gesch. der griech. Poesie. Abth. I. p. 117), qui rhapsodiam nonam salvo rerum contextu et perpetuitate tolli posse et posteriorem accessionem esse censet: „Das durch Interpolation in die Breite gezogene neunte Buch oder die vergebliche Gesandtschaft an Achilleus, dem die vollste Genugthuung angetragen wird, deutet auf jüngeren Ursprung". Cf. Minckwitz, Vorschule zum Homer. p. 91.

adempta esset facultas efficiendi, quod sibi proposuit, id est rem eo deducendi, ut Achillis gloria summo cumulo augeretur, isque victor ex inimicorum dolore triumphum ageret iustissimum.

§ 86. (Gradatio tertia.) Tertia igitur gradatio, quae — eodem ambitu, quo tertium Iliadis proelium, circumscripta — rhapsodias ΛΜΝ [1]) comprehendit, inlustri augescentis Achivorum calamitatis descriptione audientium exspectationem tantopere erigit, ut animorum contentio eos libere respirare non sinat, simulque tam dilucidam imaginem pugnae acrius acriusque exardescentis praebet, ut auditores velut in rem praesentem perduci videantur.

Atque post acre proelium Achivi ab hostibus intra moenia repelluntur; Agamemno Diomedes, Ulixes Eurypylus vulnerati ex pugna se recipiunt; Troiani quinquepertiti murum expugnant et per portam in castra navalia invadunt; acerrima pugna circa naves cooritur. Ecce praeclara gradatio, quae eo validior est, quod complures minores gradationes continet, siquidem citissima progressione murus, porta, ipsae naves deinceps oppugnantur. Quibus minoribus gradationibus rapido cursu inter se excipientibus actio epica miro modo incitatur, tantaque vi ad summum gradum versus sursum agitur, ut ipse ille summus gradus proximam gradationem vi impetuque vix superet.

§ 87. (Momentum actionem retardans.) Sed animum tantam contentionem diutius ferre non posse, immovero respiratione quadam utique opus esse ipse poëta videtur persentiscere: sequitur momentum actionem retardans, quod harum rerum existimatores vocant. Juppiter enim Junonis vafritie in Ida monte somno consopitur, qua re Neptuno copia fit Achivos tanta pugnae cupiditate inflammandi, ut Troiani ingenti impetu in fugam coniciantur. Complectitur autem momentum illud rhapsodiam Ξ et Ο 1—4, a cuius versus extremis verbis ἔγρετο δὲ Ζεύς summus actionis gradus initium capit. Vix igitur ipse poëta et auditores „mitigatoria“ eiusdem momenti vi quodammodo respirare coeperunt, cum ultima actionis gradatio inruit et incredibili suo impetu audientes paene opprimit.

§ 88. Ergo retardantis illius momenti vis, qua rapidus actionis epicae cursus aliquamdiu reprimitur, eodem temporis puncto languescit et exstinguitur, quo Juppiter, ex fatali isto somno experrectus, Neptunum ex proelio discedere iubet.

Summus gradus actionis epicae. Hinc, inquam, initium capit summus gradus actionis epicae, qui, quattuor prioribus versibus exceptis, rhapsodiam Ο complectitur. Acerrima circa naves pugna instauratur; iamiam in eo est, ut Protesilai navis igne concepto incendio deleatur; iam flammae, trabes navales lambere properantes, propius propiusque imminent; iam Aiax Telamonius, incredibili ac paene mortifero languore defessus, viribus deficitur, aegerrimeque hostes a navibus arcet; iam Achivi ad incitas redacti sunt summisque angustiis premuntur, quas ultra calamitas eorum crescere nequit. Quae cum ita sint, ne actio epica quidem ita comparata est, ut plures gradationes ferre queat, unde fit, ut, altius adsurgere prohibita, deorsum se inclinare incipiat. Nec pluribus gradationibus illa eget; nam tribus illis gradationibus, quas tantum quod persecuti sumus, iam effectum est, quod Iuppiter Thetidi pollicitus erat, ut filio eius graviter laeso abunde satisfieret, qua in re summus actionis epicae gradus cernitur.

[1]) Rhapsodia K est purum putum embolium, quod dicunt, a Pisistrato demum Iliadi insertum. Schol. ven. ad Iliad. K 1. Eustath. p. 785, 41 ed. rom.

§ 89. (Catabasis actionis epicae.) Iam sequitur altera epopoeiae pars, quam „catabasis“ nomine notare mihi liceat, quae quidem, summo gradui continuata, tribus regressibus praeceps exodum versus ruit. Est autem catabasis actionis epicae iisdem fere legibus obnoxia, quibus actionis tragicae catabasim astrictam esse in Disquisitionibus sophocleis [1]) fusius docui. Etenim catabasis id spectat, ut singulis regressibus omnia ea, quae prioris partis gradationibus effecta sunt, deinceps inrita fiant et ita pervertantur, ut res in integrum restituatur, quasi omnia illa prorsus infecta essent. Gradationibus illis autem res eo deducitur, ut Achivi, aliis super alias cladibus acceptis, tandem a Troianis ad discrimen adducti, non iam habeant, quo sese vertant; ergo alterius partis regressibus effici debebit, ut Achivorum clades totidem victoriis compensentur, atque Troiani ab hostibus, qui par pari referunt, iterum ac saepius in fugam coniecti, magis magisque in angustias compellantur. Omnino dimidiae epopoeiae partes non minus inter se oppositae sunt et officiunt quam tragoediae, quasi inter se abhorrerent et odissent: altera sursum movetur, altera deorsum vergit; in altera actio epica gradationibus promovetur, in altera regressibus ad exitum perducitur; altera denique nodus nectitur, solvitur altera. Quae diversitas tanta est, ut etiam in singulis rebus appareat: in priore parte conflatur, in posteriore placatur ira Achillis; in priore fortissimus Achivorum heros compressis manibus sedet desidiosoque otio indulget, in posteriore ad pristinam virtutem revertitur et praeclarissima facinora facit; idem in priore parte ultimo dedecore adficitur, in posteriore ad summam gloriam evehitur; in priore heroum troianorum princeps popularibus suis ad victoriam naviumque incendium facem praefert, in posteriore idem ab Achille occiditur, eiusque corpus canibus avibusque devorandum proicitur — — — Sed dies me deficiat, si omnia singillatim enumerare velim; sufficiant igitur ea, quae attuli.

§ 90. Quibus praemissis sequitur, ut singulos actionis epicae regressus deinceps persequar.

(Primus actionis epicae regressus.) Primus igitur regressus huc redit, ut Achilles, Patrocli precibus exoratus et calamitatis Achivorum miseritus, amicum suis armis indutum cum Myrmidonibus proelio interesse iubeat. Quo facto uno velut ictu omnia vertuntur: Patroclus hostes non solum a navibus depellit, sed etiam ultra munimenta in apertum campum persequitur; quid? quod Sarpedonem, Iovis filium, occidit. Ut paucis dicam, poëta primo hoc actionis regressu efficit, quod efficere ei propositum est, ut vehemens impetus, quo actio epica adhuc ad summum gradum versus properavit, non modo cohibeatur et infringatur, sed etiam in contrarium vertat; eodem efficit, ut Troiani tandem aliquando effusa victoriae laetitia exsultare desinant, Achivi autem, diu sibi diffisi, artem vincendi se non prorsus

[1]) § 192 e. q. s.

dedidicisse cum magna sua voluptate persentiscant. Quod vero ipse Patroclus mortem occumbit, id quidem sapientissimus poëta rectissime instituit: necesse est enim iamiam ipsum Achillem in pugnam reverti, ut Troiani acrius acriusque premantur, neu Hector sui interfectore careat. Achilles autem, ut est iratus, vix aut ne vix quidem ab animo impetrabit, ut non modo cum inimicissimis suis in gratiam redeat, sed eos etiam adiuvet, nisi gravissimo impulsu acerrimoque stimulo ei admoto: quem stimulum aut amici, quem unice diligit, iactura ei addet, aut nihil. Ergo utique necesse est Patroclum a Troianis occidi; quod ni fieret, alter et tertius actionis regressus non haberent, unde efficerentur. — Primus regressus autem rhapsodias Π et P complectitur.

§ 91. (Alter actionis regressus.) Ex iis, quae modo disserui, satis apparebit, opinor, quomodo alter actionis regressus cum primo cohaereat. Nam primo regressu fit, ut Patroclus a Troianis caedatur; atqui fieri non potest, quin Achilles, amici caede exacerbatus vel potius ad furorem adactus, eius ulciscendi cupiditate exardescat; ulcisci autem nequit nisi primum cum Agamemnone Achivisque in gratiam, deinde vero in pugnam reversus; ergo utique necesse est utrumque fieri. In pugnam autem nemo sanus ingreditur nisi armatus; atqui Hector arma Achillea Patroclo detracta praedatus est; necesse est igitur Achilli nova arma comparari, unde apparet, quam artis vinculis aspidopoeia ista, quae vocatur, cum altero actionis regressu cohaereat, et quam recte poëta fecerit, quod in eius fronte illam collocaverit. Armis autem a Vulcano confectis et Achilli a Thetide redditis, validissimus heros, Agamemnoni reconciliatus, sanguinis sitiens ac paene furibundus in pugnam, qua ne dii quidem abstinent, inruit, ingentesque hostium strages edit; tantumque pavorem atque horrorem dirus ille hostibus incutit, ut ipsi illi Troiani, qui paulo ante, porta munimentisque superatis, in castra navalia inrumpere ausi erant, anhelo cursu per apertas portas in urbis latibula revolent. Complectitur autem hic actionis regressus rhapsodias Σ—Φ.

§ 92. (Tertius actionis regressus.) Sequitur tertius et idem ultimus actionis regressus, qui rhapsodia X continetur, cuius accessione ingens gradationum summique gradus impetus, quem supra exponere conatus sum, prorsus infringitur retunditur convellitur; nam foedissima Achivorum clades, ne dicam internecio, cui coniuncta gradationum vi incredibilis cumulus accesserat, contraria regressuum maximeque tertii regressus vi in splendidissimum eorundem Achivorum triumphum vertitur; qua eadem vi effusa victoriae laetitia, qua Troiani tantum quod exsultaverunt, in hominum prorsus fractorum gemitum lamentationemque mutatur. Etenim Hector ille, Troianorum praesidium et decus, in quo omnis eorum spes et fiducia collocata sunt, — horribile narratu! — inimicissimi sui hasta transfossus, moribundus collabitur, ad eiusdemque currum adligatus circa muros et ad naves raptatur. Iam ultima salutis specula, quam ex Hectoris aspectu et adloquio degustaverant, prorsus exstincta, de Troianorum urbe civitateque actum est!

§ 93. (Iliadis exodus.) Iam in eo est, ut actio epica, tres gradationes totidemque regressus emensa, ad exitum properet: sequitur epopoeiae exodus, quae rhapsodias Ψ et Ω complectitur, quarum rhapsodiarum priore funebres ludi patroclei, altera corporis hectorei restitutio et sepultura enarrantur. Quam utramque exodi partem utique necessariam esse luculentissimis gravissimisque argumentis potest convinci.

Atque probe tenendum est, totam hanc quaestionem non ad tragoediam pertinere, sed ad epopoeiam. Nam, quod nec Odofredum Müllerum[1]) fugit, tragoedia, quae videlicet legibus scenicis obnoxia est, Hectoris caede terminari poterat, verum est; epopoeia non item. Tragoediae est enim suae legi[2]) satisfacere, quae poscit, ut prima persona tragica culpam, quam contraxit, interitu luat; cui legi dummodo satisfactum sit, poëta tragicus unice securus est de aegritudine et maestitia, quae audientibus miserrima hominis sorte creatur; tantumque abest, ut clausulam „placatoriam" — venia sit vocabulo — tragoediae adnectat, ut cum primae personae caede ipsam quoque fabulam exstingui patiatur. Poëta epicus autem hac quidem ex parte exlex, sed idem tamen altera lege epopoeiarum propria astrictus est, qua carminis epici exodum ita instituere iubetur, ut animi auditorum calamitatibus heroum vehementer commoti leniantur et ad mitiores sensus revocentur. Quod ipsum Iliadis auctor dupliciter efficit: et ludorum funebrium descriptione et praeclari illius colloquii enarratione, quod inter Achillem et Priamum intercedit, quo Achilles, qui ab omni humanitate prorsus descivisse videbatur, ad tantam misericordiam clementiam mansuetudinem se revocat, ut, sui patris memor, miserrimo patri, quem cruenta caede multis et fortibus filiis orbavit, benigne excepto corpus Hectoris sepeliendum restituat: quae „scena" — nam scena est vere tragica — nescio an, si qua alia, ad animos placandos efficacissima sit.

§ 94. Praetereo, quod iis opponi potest, qui ludorum funebrium descriptionem merum pannum epopoeiae adsutum vel supervacaneum eiusdem supplementum esse opinantur, ludis illis ipsi Patroclo et Achilli abunde satisfieri[3]): multo maioris momenti sunt notiones illae, quas de humanitate atque virtute in heroicae aetatis hominum animis informatas fuisse ex rhapsodia Ω discimus, cui poëta sapientissimus consulto considerateque eas subesse voluit. Quo imprimis pertinet sancta erga mortuos pietas, quam eodem iure iustitiam adversum defunctos appellare licet, quo Cicero, universam pietatis notionem definiturus, iustitiam adversum deos eam esse ait[4]): quae erga mor-

[1]) Geschichte der griech. Lit. I, p. 97: „Eine Tragödie, die ihren Gegenstand dramatisch behandelte, hätte freilich mit dem Tode Hektors schliessen können; aber kein episches Gedicht konnte so endigen, da es in diesem nothwendig ist, dass man das aufgeregte Gemüth zur Ruhe kommen lasse".

[2]) Nostrati sermone dicerem: „das Gesetz der tragischen Gerechtigkeit".

[3]) Idem docet O. Müller (Gesch. der griech. Lit. I, p. 97): „Diese (beruhigende und besänftigende) Wirkung wird zuerst durch die Spiele hervorgebracht, wodurch dem Patroklos die grösste Ehre erwiesen und dem Achilleus vollständige Genugthuung gegeben wird."

[4]) De nat. deor. 1, 41: Est enim pietas iustitia adversum deos. — Subsecivis operis, ut aiunt, commemoro eodem argumento a mortuorum reverentia repetito ad alteram Aiacis sophocleae partem purgandam perperam usum esse Godofredum Hermannum, id quod fusius exposui in Disquisitionibus sophocleis § 226—228.

tuos pietas praeclare elucet ex rhapsodia Ω, qua poëta religiosissimus sibi cavet, ne sanctissimum defunctorum ius laesisse perhiberi possit, quod iam heroica aetate mirum quantum valuit: nefas sane fuisset sollemnia feralia mortuis recusasse, nedum corpus caesi hominis in potestate hostium reliquisse. Ne poëta humanissimus foedae inhumanitatis crimen sibi conflasset, si ab animo impetravisset, ut vel Thersitae, Melanthii aliique eiusdem farinae homulli debito funeris honore privarentur. Quanto minus igitur credibile est Homerum, sanctissimum scilicet vatem, ad eam crudelitatem procedere potuisse, ut Hectorem, omnium heroum et humanissimum et generosissimum, quem in deliciis habet, insepultum iacere pateretur, quod fecisset, si Iliadem Hectoris morte terminasset! Ergo utique necesse erat inritum fieri, quod Achilles minatus erat, Hectoris ossa avibus canibusque ludibrio fore. Brevi praecidam: ultimam Iliadis rhapsodiam desecare aut supervacaneam ducere, quod nonnullis visum est, nihil aliud esset quam divinam epopoeiam in miserrimum truncum convertere, cui extremum maximeque necessarium membrum deesset, sine quo solidum corpus consistere nequiret.

§ 95. Gravissimum vero argumentum, quod ad ultimam Iliadis rhapsodiam a criticorum licentia vindicandam adferri potest, a singulari arte repetiturus sum, qua poëta mores Achillis descripsit. Cuius personam accuratius examinantibus nobis statim liquebit, Homerum id velle et agere, ut explicet, quibus progressibus factum sit, ut Achilles, ferocia immanitateque ei insita sensim et paulatim exuta, ex effrenatissimae libidinis fluctibus emersus temperatorum moderatorumque morum et sensuum incrementa caperet, tandemque omnis humanitas in eius natura perficeretur et absolveretur.[1])

Quod ut magis etiam appareat, singula spatia perlustremus, quae Achillis natura decurrit, antequam ad humanitatis perfectionem pervenit. Quam ferocem igitur ac paene furibundum se praebet in exordio Iliadis, ubi cum Agamemnone rixatur, eiusque insolentiam cum indignatione repellit! Ingenti iracundia abreptus, aegerrime abstinet, quin invisissimum virum trucidet: iam gladium strinxit, cum Minerva eum retinet, et adloquio suo placat. Cuius auctoritate deterritus, caede quidem abstinet; sed nihilo tamen setius sceptrum humi conicit et furere pergit.

Ex contione autem digressus, popularibus societate renuntiata, in tentorium tanquam stomachi sui atque doloris latibulum se recipit, compressisque manibus sedet; ad omnes Achivorum aerumnas clades calamitates tantopere obduruit, ut lente eas ferat; quanquam ex pugnae loco armorum strepitus, moribundorum popularium gemitus, laetus victorum hostium clamor ad aures eius perfertur, tamen miseri-

[1]) Haec iam litteris mandaveram, cum animadverti, Odofredum Müllerum fere idem docuisse. Gesch. der griech. Litt. I, p. 84: „Und so ist der veredelnde Läuterungsprocess, den der Charakter des Achilleus besteht, und wodurch der göttliche Theil seiner Natur von allen Schlacken befreit wird, ein fortlaufender Gedanke, der sich durch das Ganze des Gedichts hindurchzieht, und die Art und Weise, wie dieser Process zugleich dem Gemüthe des in den Gegenstand versunkenen Zuhörers sich mittheilt, lässt uns diesen den höchsten Schönheiten und Vollkommenheiten der erhabenen Dichtung beizählen".

cordia adeo non commovetur, ut siccis oculis tot tamque atroces res conspicetur, ac ne manus quidem earum causa vertat. Ad summum vero gradum eius durities, ne dicam rigor pervenit eo ipso temporis puncto, quo Achivi, in summum discrimen adducti et undique circumsessi, legationem ad eum mittunt, supplicibus precibus et pollicitationibus iram eius deprecatum: surda aure, ut inexorabilis est et acer, eorum preces neglegit, Achivorumque calamitates segniter accipit; ceterorum mortalium animi pluma aut folio facilius moventur, Pelidae non item, qui, undecumque flatus aliquis ostenditur, eo vela dare minime consuevit; tametsi et Ulixes et Phoenix orationis vela pandunt, tametsi Agamemnonis mandatu et nomine montes et maria ei pollicentur, tamen durus ille et ferreus adeo non flectitur, ut cum fastidio eos repudiet. Tanta mehercle pertinacia aut omnino frangi nequit, aut ad ferocissimi hominis animum contundendum percellendumque omnibus fortunae fulminibus opus est — — —

§ 96. Sed iam in eo est, ut gravissima plaga Achilli infligatur, qua nisi eius mores mitigabuntur, rigidos silices solidumve ferrum aut adamantem in pectore gerere dici debebit. Nam Patroclus, eius familiarissimus, qui inde ab omni tempore de complexu ac sinu eius fuit, quem intimo amore prosequitur, qui denique ipsa vita ei carior est, ab hostibus, quorum capitali odio flagrat, occisus est!

Quo nuntio adlato vir validissimus paene terrore opprimitur; acerrimus dolor ipsas medullas, ipsa viscera ei mordet; gemit, ululat, humi se prosternit, capillum sibi evellit, nec multum abest, quin mente alienatus esse videatur. Sed ne sic quidem ferocia eius fracta, nedum mores emolliti sunt; immovero vix paululum respiravit, cum ingenti cupiditate ulciscendi exardescit; cum ceterorum hostium tum Hectoris sanguinem sitit, in eosdemque tam crudeliter saevit, ut omnem humanitatem exuisse videatur, et ad eius ferociam immanitatemque domandam fortioribus etiam remediis opus esse appareat.

§ 97. At ecce! iamiam appropinquat intercessor, cui a fatis destinatum est et reservatum, ut caeco et usque ad id tempus invicto Achillis furori se interponat. Vacillante pede tentorium ingressus, imbecillus senex supplex trementes manus ei tendit; genua eius amplectitur, easdemque manus exosculatur, quarum mortifera vi tot filios amiserat, quos crudeliter iugulatos ille avibus canibusque devorandos proiecerat. Iam loqui orditur: voce metu atque dolore praeclusa dirum nominis troiani osorem et vexatorem implorat, ut corpus filii unice dilecti sepeliendum sibi restituat; Pelei patris eum commonefacit, qui forsitan ipse quoque filio absente in summis angustiis miseriisque versetur — — —

Pelei patris! Fulminea quadam vi dulcissimum nomen paternum ad filii aures accidit; uno velut ictu totus ille mutatus est: ferocia eius frangitur, victus manus dat! Modo patris, modo amici memor, validissimus heros una cum sene lacrimas fundit et lamentatur, suasque lacrimas cum alterius miscet. Deinde senem benigne adloquitur, flebilem eius sortem commiseratur, denique corpus filii ei restitutum iri promittit. Quid multa? Tantopere mutatus est ab illo Achille, qui tantum quod tigridis ritu hostium sanguinem sitiverat, ut eundem vix agnoscas. Quod nec Achivorum calamitates nec legatorum

preces nec amici iactura efficere potuerant, ut contumax eius animus ad clementiam et misericordiam omninoque ad mores mitiores revocaretur, id infelicissimi senis aspectus, sanctissimum nomen paternum, religiosa filii pietas, denique patris absentis recordatio efficiunt. Iam poëta rem eo deduxit, quo deductam eam voluit: Achilles ad meliorem suam naturam, a qua desciverat, revertit; mens eius a feritate ad clementiam et mansuetudinem revocata, denique omnis humanitas in eo perfecta et absoluta est. En summum summi poëtae artificium, quocum vix habeo quid comparem. Quo magis autem ultima haec Iliadis pars ad Achillis humanitatem perficiendam necessaria est, eo vehementius ii accusandi sunt, qui pro mero panno epopoeiae adsuto eam habendam esse censuerunt. Qui utrum in perversa sua sententia perstare an palinodiam canere malint, ipsi viderint.

§ 98. Restat, ut capita eorum, quae de Iliadis compositione disserui, uno in conspectu collocem.

Expositio scenica: Chryses ab Agamemnone repudiatur; pestilentia ingruit; Agamemnonis arcessitu Briseïs abducitur. **Ordiendae actionis epicae momentum:** Iuppiter Achilli satisfactum iri pollicetur.	Rhapsodia A.
Expositio epica: Uterque exercitus in aciem educitur. Alexandri et Menelai certamen singulare. Primum Iliadis proelium. Hectoris et Aiacis pugna singularis.	Rhapsodiae B—H.

Gradationes actionis epicae.

Gradatio prima: Alterum Iliadis proelium. Nocturnae Troianorum in armis excubiae.	Rhapsodia Θ.
Gradatio altera: Legatio ab Achivis ad Achillem mittitur. Summa Achivorum propter repulsam acceptam desperatio.	Rhapsodia I.
Gradatio tertia: Tertium Iliadis proelium. Achivi intra munimenta repelluntur; fortissimi eorum vulnerantur et ad pugnandum invalidi fiunt. Murus a Troianis expugnatur, ab iisdemque irruptio in castra fit. Proelium navale.	Rhapsodiae ΛMN.
Momentum actionem retardans: Iuppiter in Ida monte Iunonis dolo somno sopitur; Achivi a Neptuno ad ardentissimum sui defendendi studium inflammantur; Troiani ingenti impetu repelluntur.	Rhapsodia Ξ et O 1—4.
Summus gradus actionis epicae: Neptunus a Iove ex pugna submovetur; pugna circa naves redintegratur; Protesilai navis incendio flagrat; Aiax, languore defessus, ab hostibus paene opprimitur; Achivi summis angustiis premuntur.	O 4—746.

Regressus actionis epicae.

Catabasis.	**Regressus primus:** Patroclus, Achillis armis indutus et Myrmidonibus comitatus, hostes a navibus depellit et ultra munimenta in apertum campum persequitur; ipse mortem occumbit. Aegre eius corpus hostibus eripitur.	Rhapsodiae Π et P.
	Regressus alter: Achilles, armis a Vulcano confectis indutus et Agamemnoni reconciliatus, in pugnam revertitur, ingentesque hostium strages edit; Troiani per apertas portas in urbem refugiunt.	Rhapsodiae Σ—Φ.
	Regressus tertius: Hector ab Achille occiditur.	Rhapsodia X.

Exodus: Patroclus amplo funere effertur, eidemque ludi funebres instituuntur. Hectoris corpus, ab Achille Priamo restitutum, apparatissimo funere humatur.	Rhapsodiae Ψ et Ω.

CAPUT TERTIUM.

De compositione carminum homericorum. Pars altera: de compositione Odysseae.

§ 99. Compositio Odysseae, quam in eo est ut fusius explicem, ab Iliadis compositione cum aliis locis tum hac re differt, quod actio epica Iliadis simplex, Odysseae bipartita est, vel, ut accuratius rem significem, quod, cum actio Iliadis sine ulla intermissione uno tenore perpetuetur, in Odyssea duae actiones epicae, altera alteram iterum ac saepius interpellante, perpetua vicissitudine inter se excipiunt et succedunt. Ac ne duplici „expositione“ quidem Odyssea caret, hac ex parte Iliadi non dissimilis; sed tamen inter utramque epopoeiam hoc discriminis intercedit, quod in Iliade scenica expositio, unde poëta carmen exorditur, statim ab epica excipitur, Odysseae autem expositio scenica, quae ipsa quoque in fronte poëmatis collocata est, duabus complexionibus gradationum, quae partim ad priorem, partim ad alteram actionem pertinent, ab epica expositione secernitur, quam itidem duplex utriusque actionis gradationum complexio excipit. Hinc vero duae illae actiones adhuc disiunctae in unam actionem confunduntur, quae, triplici gradatione ad summum gradum evecta, in exodum desinit.

Sed compositionem Odysseae, quam velut primis lineis designare modo conatus sum, iam accuratius consideremus et excutiamus.

§ 100. Duplex est igitur actio epica Odysseae, ut dixi: atque una quidem actio versatur in itineribus Telemachi, altera in reditu Ulixis; quorum utroque Ithacam reverso actio adhuc bipartita in unam coalescit. Omnis autem actio — sive epica ea est sive scenica — momento aliquo eget, quo excitetur; ergo ad duas illas actiones, quas prior Odysseae pars continet, excitandas duobus momentis opus esse apparet. Cum autem epopoeia in actione epica versetur, eamque quam primum excitari poëtae magnopere interesse debeat, Homerus, omnium poëtarum longe scitissimus, nihil antiquius habet, quam ut utriusque actionis incitamentum expositioni scenicae, a qua epopoeia initium capit, intexat; quo facto iam neutra actio pulsu suo caret, immo utraque tanta vi impellitur, ut, semel moveri coepta, complures deinceps gradationes percurrat, et, tametsi actiones non solum inter se interpellant, sed etiam expositionis epicae interiectu paulisper interrumpuntur, tamen post brevem intercapedinem, redintegrato cursu, promoveatur.

§ 101. Expositio scenica Odysseae, qua duplicis actionis incitamenta continentur. Expositione scenica, unde poëta epopoeiam orditur, quae primam rhapsodiam explet, triplici, ut ita dicam, officio poëtico satisfacit; nam ita eam instituit, ut non modo duplici impulsu actiones excitet, sed etiam auditores de rerum ithacensium statu et condicione certiores faciat.

Alterius actionis incitamentum. Antecedit alterius actionis incitamentum, quo Ulixis reditus quodammodo praeparatur: in contione dii, absente Neptuno, qui Ulixis inimicissimus est, decernunt, ut Mercurii opera Calypso nympha Ulixem ex Ogygia insula tandem aliquando dimittere iubeatur. Quod quidem decretum velut prolusio est gradationum illarum, quibus Ulixes primum ad Phaeaces, deinde eorum auxilio et beneficio in ipsam patriam pervenit.

Qua in re non praetermittenda est eximia actionis retardandae ars, qua Homerus excellit; quanquam enim dii decretum illud illico exsequi velle videntur, tamen res ita procrastinatur, ut aliquot demum diebus interiectis Mercurius a Iove mandati peragendi causa ad nympham ablegetur. Quo eodem modo in Iliade Iuppiter exsolvere cunctatur, quod Thetidi promisit, Achilli satisfactum iri; nam muro demum exstructo adversus Achivos fortioribus remediis adhibitis ipse intercessionem suam interponit. Patet autem poëtam his similibusque actionis retardationibus nihil aliud efficere velle, quam ut auditores ad summam exspectationem adducantur. [1])

§ 102. (Prioris actionis incitamentum.) Sequitur prioris actionis incitamentum: Minerva, Mentae, Taphiorum regis, specie induta, Telemacho persuadet, ut de patre sciscitatum Nestorem et Menelaum adeat nuperrime domum reversos; quae res semen et causa est gradationum illarum, quibus et itinera Telemachi et insidiae a procis ei paratae continentur.

Praeterea vero expositio scenica omnia ea comprehendit, ut dixi, quae auditoribus cum de ceteris rebus ithacensibus tum de procorum helluatione, qua Ulixis bona impudentissimum in modum profundunt et abligurriunt, scitu utique necessaria sunt. Quae quam scite poëta

---

1) Cf. O. Müller, Gesch. der griech Litt. I, p. 101: „Beide Dichtungen (Ilias und Odyssee) haben doch in dieser Hinsicht (in Betreff der künstlicheren und vollständiger entwickelten Form des Epos) auch Vieles mit einander gemein: vorzüglich jene tiefe Einsicht in die Mittel, die Neugierde zu spannen und das Interesse durch neue und unerwartete Wendungen der Erzählung rege zu erhalten. Der Beschluss des Zeus wird in seiner Ausführung eben so lange in der Odyssee verzögert, wie in der Ilias. Wie in dem letzteren Gedichte erst nach der Erbauung des Walles Zeus auf Bitten der Thetis eine thätige Rolle gegen die Griechen übernimmt, so erscheint er ganz zu Anfange der Odyssee Willens, auf den Vorschlag der Athene wegen der Rückkehr des Odysseus einzugehen, sendet gleichwohl aber den Hermes an die Kalypso in der That erst einige Tage später im fünften Buche ab.“ De his retardationibus prorsus nihil suboluit Friedländero scribenti haec (Die homerische Kritik von Wolf bis Grote p. 29: „Doch vom Anfange des zweiten Gesangs bis zum Ende des siebenten geschieht nichts, um die Erwartung zu befriedigen, die durch jene Einleitung erregt ist (quasi poëta malitiosus id ipsum noluerit). Achill und sein Zorn sind plötzlich wie vergessen. Weder im Olymp wird seiner gedacht, wo Zeus jenes feierliche Versprechen gegeben ihm zu rächen, noch im griechischen Heere, wo der gekränkte Held geschworen hatte, die Söhne der Achäer sollten noch nach ihm verlangen, aber vergebens!“ Cf. p. 63.

cum prioris actionis incitamento contexuerit, manifestum est; Minerva enim, Ithacam profecta et a Telemacho hospitaliter excepta, in mediam procorum turbam devenit, quorum nefandam luxuriem et intemperantiam poëta tam praeclare oculis subicit, ut intellegatur, quo iure Telemachus paulo post vehementissimis verbis castigatos eos domum discedere suisque ipsorum facultatibus in posterum convivia apparare iubeat.

§ 103. Sequitur **triplex prioris actionis gradatio.**

Atque prima gradatio, quae alteram rhapsodiam explet, huc redit, ut Telemachus iterata compellatione procos ex Ulixis domo facessere iubeat, id quod Antinous recusat. Ipse Telemachus, itinere pylio comparato, Mentore (Minerva) comitatus, nave soluta, in altum provehitur.

Altera prioris actionis gradatio. Primam gradationem excipit altera, quae rhapsodia tertia continetur: Telemachus, ad litus pylium nave appulsa, a Nestore Neptuno hostias immolante comiter excipitur; de Ulixe interrogatus, senex pylius, cum ipse nihil certi de eo rescierit, Telemacho suadet, ut, Lacedaemonem profectus, de hac re Menelaum adeat nuperrime demum ex itinere reversum; cui consilio obsecutus, Telemachus cum Pisistrato, Nestoris filio, iter postridie ingressus insequente die vesperi Lacedaemonem advenit.

Tertia prioris actionis gradatio. Sequitur gradatio tertia, quae rhapsodiam quartam complectitur: Menelaus, qui liberorum nuptias celebrat, Telemachum et Pisistratum hospitaliter excipit; de Ulixe interrogatus, Telemacho aperit, quod in Aegypto ex Proteo, deo marino, se cognosse ait, Ulixem in Ogygia insula a Calypso nympha vi retineri, reditque eum prohibitum esse, cum navibus, armamentis remigibusque careat. Interea proci Telemachum ex insidiis occidere statuunt.

§ 104. Iam si quaeritur, quid hae gradationes velint, eaedemque num verae gradationes sint ac nomine suo dignae, adseverare non cunctor, ex iis eximiam quandam artem elucere auditorum exspectationem erigendi augendique. Etenim ex priore expositione de deorum decreto quidem certiores fimus, quo Ulixes ex Ogygia insula domum dimitti iubetur; sed haec ipsa res ita comparata est, ut audientium exspectationem non tam expleat et satiet, quam stimulet excitetque; nam insula ista, quae in umbilico maris sita esse dicitur, incertae visionis instar oculis nostris obversatur, et fabulosa sua natura, quae vastae solitudinis et longinquitatis ab omni humano commercio cultuque remotissimae speciem prae se fert, animos nostros tam mire adficit, ut, ingenii vi incitata, in infinitam medii maris vastitatem et tanquam in inane vagari nobis videamur; quid? quod vel ipsum nomen Ogygiae (quod ab 'Ωγύγης, qui aequoris oceani longe lateque diffusi et omnia tegentis deus fuisse perhibetur, [1]) derivandum est) mirabile quiddam et prodigiosum sonat. Quae cum ita sint, usque eo in incerto relinquitur, ubi tandem gentium, terrarum locorumque, quoque in statu et condicione Ulixes versetur, ut auditores suspensis incertisque animis exspectatione paene crucientur, ecquid novi Tele-

---

1) Cf. O. Müller, Gesch. der griech. Litt. I, p. 99. adn. 2.

machus de patre ex Nestore resciturus sit. Sed ex sene pylio adeo nihil ille comperit, ut res obcurissima nihilo magis liqueat, et auditores eo avidius exspectent, quid Telemachus ex Menelao cogniturus sit, quem nuperrime domum reversum de Ulixis sorte aliquid saltem comperisse verisimillimum est. Quae spes vix dici potest quantopere fallatur. Nam ne Menelaus quidem aliud quicquam compertum habet, quam quod ex scenica expositione iam satis superque constat, Ulixem a Calypso in Ogygia retineri. Medius fidius tantam frustrationem animus tolerare vix potest! Ne longius: in quinta demum rhapsodia post diuturnam taciturnitatem poëta auditorum exspectationi tandem aliquando satisfacturus in medias res Ogygias eos abripit, eodemque Mercurium venientem facit; neque solum de ipsius Calypsus et Ulixis statu et condicione eos certiores facit, sed etiam nymphae sedem in desertissima regione sitam amoenissime describit, ceterasque res scitu necessarias scite commemorat. En habemus singularem triplicis huius gradationis vim et potestatem: quam si quis mente adsequi aut noluerit aut nequiverit, fere nihil harum rerum intellectum habebit.

§ 105. Sequitur **duplex alterius actionis gradatio.**

Gradatio prior, quae rhapsodia quinta continetur: Calypso, Iovis imperio oboediens, invito animo Ulixi domum reverti permittit, qui ratem fabricatus iter ingreditur; tempestate coorta et naufragio facto, Leucothea, dea marina, redimiculum ei praebet, quo pectori subligato ex naufragio enatat et ad Phaeacum litus appellitur.

Gradatio altera, quae rhapsodias ζ—θ comprehendit: Ulixes in Nausicaam incidit, quae ad Phaeacum urbem eum deducit; deinde, regiam domum ingressus, ab Alcinoo comiter excipitur, qui idem, dona ac navem hospiti pollicitus, apparatis epulis eum invitat et ludorum spectaculo delectat.

Qua duplici gradatione actio epica iam aliquanto promota est; Ulixes enim, qui per septem annos in remotissimis terrae regionibus commoratus erat, uno velut ictu non modo patriae multo propius admotus est, sed etiam ad populum pervenit, qui ad eum in patriam revehendum et propensus paratusque et necessariis instrumentis navalibus instructus est. Quae cum ita sint, auditores, ut et morae et spei impatientissimi sunt, iamiam in eo esse opinantur, ut ipse Ulixis reditus, cognatorum salutatio, procorum supplicium deinceps uno tenore enarrentur. At boni isti mox cum magna sua aegritudine cognoscent toto caelo sese errasse. Homerus enim, quae poetica eius parsimonia est, anxie cavet, ne plena manu caecove impetu omnia sua statim effundat, neve auditoribus quicquam cognoscendum relinquat; immovero, quo maiore ignotas res cognoscendi cupiditate auditores more humani ingenii exardescunt, eo maiore pervicacia ea ipsa, quae scire concupiscunt, reticet, et in futurum sibi reservat, audientes ad summam exspectationem adducturus. At quo tandem modo id instituit? Hoc ipso videlicet loco, ubi auditores iam in medias res ithacenses abripi sibi videntur, poëta malitiosissimus, actionis epicae intercapedine facta, **epicam** illam **expositionem,** de qua supra dixi, mediae epopoeiae interponit, ipsumque Ulixem Alcinoi rogatu per quattuor sat longas rhapsodias Phaeacibus errores suos enarrantem facit, auditorum patientiam crudelissime ille temptaturus et nihilo tamen setius eos eximie delectaturus. Apparet autem hanc expositionem actionis epicae interpellatione et retardatione momenti retardantis vim nancisci et eius instar esse.

§ 106. Expositione epica ad finem perducta iam actio altera tertiae et quartae gradationis accessione continuatur.

Gradatio tertia alterius actionis: Ulixes a Phaeacibus, nocturna navigatione in patriam revectus, in Phorcynis portu cum muneribus ab illis acceptis dormiens exponitur: experrectus, cum Minerva de procorum occidione deliberatione habita, ab eadem in senem mendicum convertitur. Quae quidem gradatio tertiam decimam rhapsodiam explet.

Gradatio quarta alterius actionis: Ulixes ab Eumaeo, in casam introductus, hospitaliter excipitur; quis sit, interrogatus, longam de se fabulam enarrat, simulque subulco parum credulo Ulixem propediem rediturum esse pro certo adfirmat; cenatus uterque cum ceteris subulcis cubitum it. Continetur autem haec gradatio rhapsodia quarta decima.

Iam poëta revertitur ad priorem actionem alterius actionis interiectu interpellatam.

Sequitur **quarta, et eadem ultima, prioris actionis gradatio:** insidiis procorum vitatis atque nave ad Ithacam appulsa, Telemachus ad Eumaei saepimentum properat. Continetur autem haec gradatio rhapsodia quinta decima.

Quo Telemachi reditu eae gradationes terminantur, quae ad duplicem actionem epicam, hoc est ad Ulixis reditum et ad itinera a Telemacho patris explorandi causa suscepta pertinent. Utroque autem — et patre et filio — reverso, neutra actio plures etiam gradationes admittit, cum ad finem perducta sit. Quaecumque iam enarranda restant, ea ad caedem procorum et ad prioris regni restitutionem pertinent; quae res cum tam arte inter se cohaereant, ut altera ex altera manet, necesse est actionem, cum una eademque facta sit, duplicem esse desinere, duasque illas actiones in unam coalescere.

§ 107. Iam sequitur **triplex actionis epicae ex duabus actionibus in unam confusae gradatio,** qua cum Ulixis et Telemachi atque eiusdem Ulixis et Eurycleae inter se agnitiones tum necessarii caedis procorum apparatus continentur.

Gradatio prima, quae sexta decima rhapsodia continetur: Ulixes et Telemachus inter se agnoscunt, et procos ulciscendi consilia ineunt.

Gradatio altera, quae septimam decimam et duodevicesimam rhapsodiam complectitur: Ulixes, urbem ingressus, a procis et ancillis vexatur et contumeliis adficitur.

Gradatio tertia, quae rhapsodias τ—φ comprehendit: Minerva et Ulixes de procorum caede inter se deliberant; omnia arma in superiorem aedium partem asportantur; Ulixes ab Euryclea ex cicatrice agnoscitur, eidemque inter cenam proci insultant; a Penelopa certamen sagittarium instituitur, cuius palmam fert Ulixes.

Quam triplicem gradationem excipit **summus actionis gradus,** qui rhapsodiam X explet, et in caede procorum versatur.

Sequitur **exodus,** in quam actio desinit: Ulixes et ab uxore et

a patre agnoscitur; a procorum propinquis seditio concitatur, quae a Minerva ita comprimitur, ut, foedere facto, pax et venia praeteritorum concedantur. Complectitur autem exodus rhapsodias ψ et ω.[1])

§ 108. Priusquam huius capitis finem facio, operae pretium fecisse mihi videbor, si locum strictim attigero, unde artificiosissimae maximeque contortae Odysseae structurae plus etiam lucis adlatum iri spero.

Ex Odyssea enim — tam multiplex est eius κατασκευή, quam Graeci dicunt — plenam et iustam tragoediam elicere licet, quae „tragoedia procorum" commode potest inscribi; nec eam leviter adumbrare primisve lineis designare poëta satis habuit, sed poëtis scenicis totam adeo praeformavit, ut nihil iam opus sit quam materiam praebitam in formam tragoediae redigi, hoc est in actus scenarum componi. Hoc dico: non initia solum et semina illius tragoediae deprehenduntur, sed singulas partes, quibus iusta actio tragica eget — expositionem, quam dicunt, gradationes, summum gradum, regressus, denique exodum — plane cognoscere et internoscere licet. Culpa tragica autem, quam vocant, qua procorum interitus efficitur, in immodica ista intemperantia et superbia sita est, qua divina pariter atque humana iura laedunt vel potius conculcant, quae intemperantia incredibili gradatione ad summum usque actionis gradum tantopere crescit, ut ex iustitiae lege, cui omnis tragoedia satisfacere debet, eos interire utique necesse sit. Quae cum ita sint, nonnullis regressibus actio tragica deorsum, id est ad exitum inclinatur, eoque deducitur, ut, insolentia procorum prorsus compressa et fracta, ipsi ab Ulixe occidione occidantur.

Haec praefatus, iam singulas actionis tragicae partes accuratius perlustrabo.

§ 109. Atque **expositionem tragoediae procorum**, ut hinc exordiar, poëta primae rhapsodiae intexuit, eo quidem loco, ubi cottidiana convivia et incredibilis luxuria procorum describuntur, qua Ulixis bona abligurrire non erubescunt. Etenim, ante aedium portam ludis delectati helluatique, in ipsam regiam ingrediuntur, ibique genio suo indulgere pergunt: opiparis dapibus vescuntur, vino largiter se invitant, denique comissationem, choream cantumque ad vespertinum usque tempus producunt. Complectitur autem haec expositio α 106—425.

Sequitur **prima actionis gradatio:** proci, a Telemacho cottidianis conviviis Ulixis sumptu apparatis abstinere et domum discedere iussi tantum abest ut ei obsequi velint, ut etiam minentur, quoad Penelopa nuptias recusare desierit, sese Ulixis bona abligurrire velle. Quae gradatio comprehendit β 1—321.

Et ad actionem promovendam et ad culpam procorum augendam permultum valet **gradatio altera.** Nam proci Ulixis bona profundere adeo non satis habent, ut, ad ultimam audaciam progressi, Telemacho in patriam redeunti insidias collocare eumque de medio tollere

[1]) Altera Νεκυία, quae criticis et veteribus et recentioribus variis de causis offensioni fuit, cum actionis epicae compage prorsus non cohaeret.

statuant. Pertinent autem ad hanc gradationem hi loci: δ 625—674. δ 842—847. ο 299. 300. ο 495 e. q. s.

§ 110. Sequitur **gradatio tertia:** procorum insidiis ad inritum redactis, obstinatissimis animis Telemachum in ipsa eius patria occidere constituunt. Est autem haec gradatio sextae decimae rhapsodiae intexta: cf. π 342—407

Telemacho frustra insidiati, proci occaecatis animis iam furorem suum in ipsum Ulixem convertunt, in quem, quasi bilem in filium incassum effusam iam in patrem evomere vellent, omnia sua fulmina iaciunt, quo fit, ut superbia eorum ingenti progressu per quartam gradationem ad summum gradum enitatur. **Quarta** autem **gradatione** (ρ 335—491) res eo deducitur, ut Antinous, omnium procorum facile superbissimus, incredibili rabie abreptus, Ulixem non modo acerbissimis facetiis irrideat, sed etiam scabello cervices eius percutiat.

Ad **summum** denique **gradum** vesania gregis in principis Ithacensis domum coniurati in ultima rhapsodiae duodevicesimae parte (σ 304—428) pervenit, ubi ne ancillae quidem, quippe quae a procorum partibus stent, cum iisdemque stupri consuetudinem faciant, in Ulixem durissimo ore omnia maledicta conferre erubescunt; quas ad contumelias ut summus cumulus accedat, Eurymachus, saevissima ira correptus, regem mendico vestimento indutum non solum clamoribus conviciisque consectatur, sed etiam scabello petit.

§ 111. Hinc vero actio tragica, ad summum gradum evecta, deorsum vergere incipit: sequitur **triplex** eius **regressus,** quo rapidissimo cursu ad exitum ruit.

Etenim procis ad ultimam audaciam progressis iam poena divina obrepit, cuius rei tanquam prolusio **primus regressus** (υ 241—394) videtur esse; nam de Telemachi caede iterum deliberantibus iis augurium divinitus missum apparet, quo ab impio facinore deterrentur. Nihilo tamen setius Ctesippus, unus ex sceleratissimis procis, ne nunc quidem scelera et flagitia meditari desinit; immo, acerbissimis vocibus Ulixem increpitans, crus vaccinum in eundem conicit, quo facto Telemachus in Ctesippum ceterosque procos vehementissime invehitur. Iam vero in eo est, ut, omnium rerum conversione facta, procorum audacia uno velut ictu prorsus comprimatur frangaturque, mentesque eorum alienentur. Ore distorto proci cachinnum tollere; cruentata carne vesci; lacrimis obortis, horrore perfusi, interitum sibi imminentem persentiscere. Theoclymenus autem, unus inter tot caecos videns atque animo praesagiente perniciem procis instantem divinans, eorum gregem caliginosa nocte circumfusum cernit; eiulantes et lacrimis profusis singultientes eos audit; parietes et intercolumnia sanguine sparsa conspicatur; undique umbrae et larvae emergere ei videntur, quae in Erebi fauces se praecipitare festinant. Vae, iubar solis exstinguitur, nox ingruit, adesse videtur dies, qui terras ipsosque homines exitio dat! Proci autem, diris Theoclymeni oraculis exauditis, ut sunt deliri et amentes, in cachinnos effunduntur, risuque paene corruunt, tanquam Furias ab inferis contra se excitassent.

§ 112. Primum regressum excipit **alter regressus,** certamen sagittarium, quod proci a Penelopa inire iubentur, ea quidem con-

dicione proposita, ut illi deinceps Ulixis arcum tendere sagittamque per ferramenta mittere conentur. At bonis istis, scilicet homuncionibus effeminatis enervatisque, regis Ithacensis arcum ne tendere quidem contingit, quamvis, ex imo pectore anhelantes multoque sudore madentes, omnes vires ac nervos intendant. En dedecus, quo ad trucissimos spiritus vel superbissimorum hominum frangendos vix efficacius quicquam excogitari potest. Aliena bona abligurrire, vino largiter se invitare, genio suo indulgere, ancillarum amores sectari — omnia haec egregie callent, certamina gymnica, quae viros decent, non item.

Sed quid hoc est? Potestne fieri, ut mendicus iste abiectissimus et despectissimus ipsis, hominibus videlicet nobilissimis generosissimisque, robore et arte gymnica antecellat? At, pro deorum atque hominum fidem! non est aliter: homo misellus arcum nullo negotio tetendit, sagittam per omnia ferramenta misit, ex certamine superior discessit! Hominibus pudore fractis utinam ima tellus dehisceret, ne diutius in vivis essent! At terrae hiatu ne 'opus quidem est: procis interitus aliunde imminet, unde vix aut ne vix quidem exspectant!

§ 113. Quo artis sagittariae specimine edito tragoedia procorum rapidissimo impetu exitum versus ruit. Sequitur **tertius actionis regressus,** qui rhapsodiam X explet: personatus iste mendicus, simulatione deposita, iam quis sit aperit; in conspectu procorum astat dirus ille, quo vix viso et cognito horrore perfunduntur, — inexorabilis iniuriarum domui suae inlatarum ultor et vindex! Nunc, nunc de regiorum bonorum helluonibus actum est! Tela arcu dirigens et hastam vibrans, in medium procorum gregem inruit, gravissimum supplicium de iis sumptum. Atrocissima caedes fit; caedes autem? immovero trucidationem velut pecorum citius dixeris. Cumuli caesorum corporum coacervantur; iam pauculi, caedis superstites, avicularum ritu, quas accipitres insectantur, fuga salutem petunt, atque huc et illuc festinant trepidantque — — —

Nunc tandem ingens caedes peracta est; leoni similis, qui, cruore madefactus et visu terribilis, praedam a se dilaniatam infra se positam habet: ita Ulixes, sanguine et pulvere conspersus, quasi triumphans inter occisos procos astat. Iniurias eorum abunde ultus, domui suae et sibimet ipsi prorsus satisfecit!

Hic est funestissimus et vere tragicus tragoediae procorum exitus.

§ 114. Quam cruentam „catastropham", qua nescio an tragoedia terminari posse videatur, nihilo tamen setius tanquam epicitharisma sequitur **exodus** (ω 413—548), qua et ad tragoediam perficiendam absolvendamque et ad auditorum animos placandos utique opus esse facile patet. Nam caede procorum, qui ex nobilissimis Cephallenum stirpibus oriundi erant, Ulixes foedus, quod inter regem populumque cephalleniacum usque ad id tempus intercesserat, violentissimum in modum rupit; necesse est igitur — in epopoeia praesertim, quae, ut dixi, sine exitu „mitigatorio" consistere nequit — id restitui et redintegrari: quae restitutio Minervae et Iovis intercessu efficitur; nam procorum cognati, qui indignabundi seditionem excitaverunt, ingenti Minervae clamore et Iovis fulmine adeo perterrentur, ut, armis

abiectis, a pugna desistant. Iam ipsa dea auctore et auspice, foedere redintegrato, pax et amicitia utrimque restituuntur.

§ 115. Relinquitur, ut ea, quae de Odysseae compositione tantum quod disserui, colligam, unoque in conspectu collocem.

Expositione scenica continentur:

1) **Alterius actionis incitamentum:** dii in contione decernunt, ut Ulixes a Calypso nympha domum dimittatur.
2) **Prioris actionis incitamentum:** Minerva (Mentes) Telemachum hortatur, ut Nestorem et Menelaum de patris reditu percontetur.
3) Admonitiones, quibus Telemachus matrem et procos castigat.

} Rhapsodia α.

Bipartita actio epica.

Actio prior.

Quadruplex prioris actionis gradatio.

Gradatio prima: Telemachus procos ex Ulixis domo discedere iubet, quod Antinous recusat; idem cum Mente Pylum proficiscitur. } Rhapsodia β.

Gradatio altera: Telemachus a Nestore hospitaliter excipitur, qui ei suadet, ut de patre sciscitatum Menelaum adeat; Pisistrato comitatus, ille Lacedaemonem iter facit. } Rhapsodia γ.

Gradatio tertia: Menelaus Telemachum eiusque comitem benigne excipit, et illum certiorem facit, Ulixem in insula Ogygia a Calypso vi retineri. Proci Telemacho insidias parant. } Rhapsodia δ.

Actio altera.

Quadruplex alterius actionis gradatio.

Gradatio prima: Ulixes, a Calypso dimissus, naufragio facto, a Leucothea, dea marina, redimiculum accipit, quo pectori subligato ex naufragio enatat, et ad Scheriae litus appellitur. } Rhapsodia ε.

Gradatio altera: Ulixes, a Nausicaa ad Phaeacum urbem deductus, ab Alcinoo hospitaliter excipitur. } Rhapsodiae ζ—θ.

Expositio epica: Ulixes Alcinoi rogatu coram Phaeacibus fata, quibus inde a Troiae excidio usque ad litoris Ogygii appulsum defunctus est, enarrat. } Rhapsodiae ι—μ.

Gradatio tertia: Ulixes, a Phaeacibus nocturna navigatione Ithacam devectus, cum Minerva de procorum caede deliberat, ab eademque in senem mendicum convertitur. } Rhapsodia ν.

Actio prior.		Actio altera.	
		Gradatio quarta: Ulixes, ab Eumaeo hospitaliter exceptus, noctem in eius casa transigit.	Rhapsodia ξ.
Gradatio quarta: Telemachus, procorum insidiis vitatis, ad Ithacam appulsus, in Eumaei casam se confert.	Rhapsodia o.		

Triplex gradatio actionis epicae ex duabus actionibus in unam confusae.

Gradatio prima: Ulixes, a filio agnitus, cum eo de procorum caede deliberat.	Rhapsodia π.
Gradatio altera: Ulixes, Ithacam ingressus, et a procis et ab ancillis male tractatur.	Rhapsodiae ρ et σ.
Gradatio tertia: Arma clam in superiorem aedium partem removentur; Ulixes ab Euryclea agnoscitur, interque cenam a procis vexatur; certamen sagittarium.	Rhapsodiae τ—φ.
Summus actionis gradus: Procorum caedes.	Rhapsodia χ.
Exodus: Ulixes ab uxore et patre agnoscitur; seditio inter Ithacenses coorta a Minerva sedatur.	Rhapsodiae ψ et ω.

§ 116. Restat, ut singulas partes tragoediae procorum, quam dixi, uno in conspectu ponam.

Expositio: Vita moresque procorum describuntur.	Rhaps. α, 106—425.
Gradatio prima: Proci, a Telemacho domum discedere iussi, dicto audientes esse recusant, minanturque, donec Penelopa nuptias repudiet, se Ulixis bona abligurrire velle.	Rhapsodia β, 1—321.
Gradatio altera: Proci Telemacho in patriam redeunti insidias comparant.	Rhaps. δ, 625—674. δ842—847 o 299. 300. o 495 e.q.s.
Gradatio tertia: Proci Ulixis filium in ipsa eius patria caedere statuunt.	Rhaps. π. 342—407.
Gradatio quarta: Ulixes ab Antinoo inridetur et scabello petitur.	Rhaps. ρ 335—491.
Summus actionis gradus: Ancillae Ulixem cavillantur; idem ab Eurymacho sugillatur et scabello petitur.	Rhaps. σ 304—428.
Regressus actionis primus: Proci, de Telemachi caede consilia ineuntes, augurio deterrentur; iidem, mentibus alienati, mortem sibi imminentem praesagiunt.	Rhaps. υ 241—394.
Regressus alter: Proci Ulixis arcum frustra tendere student; Ulixes nullo negotio rem perficit, sagittamque per omnia ferramenta mittit.	Rhapsodia φ.
Regressus tertius: Proci ad unum omnes ab Ulixe occidione occiduntur.	Rhapsodia χ.
Exodus: Seditio a procorum propinquis excitata Minervae et Iovis opera sedatur; inter Ulixem et populum cephalleniacum pristinum foedus restituitur.	Rhapsodia ω 413—548.

§ 117. Iam utriusque epopoeiae compositionem, qualem evolvere studui, accuratius considerantibus nobis primo statim obtutu liquebit, Iliadis structuram multo simpliciorem esse quam Odysseae, quae quidem simplicitas inde explicatur, quod Ilias, quanquam vera epopoeia et est et habetur, tamen non modo unius eiusdemque actionis cancellis terminatur et circumscribitur, qua actionis unitate epopoeia, quae liberius exspatiari rigidis legibus non prohibetur, non utique eget, verum etiam dramatum ritu, ab exordio profecta, per complures gradationes ad summum actionis gradum enititur, unde totidem regressibus ad exodum usque se praecipitat. Comprehendam brevi: mira illa Iliadis simplicitas in structura ista pyramidata, de qua supra dixi, et ea simplicissima, posita est, quae sine ullis ambagibus recta velut via sursum enititur, deinde vero inde a summo gradu, omni anfractu vitato, deorsum vergit. Sed in ipsa hac simplicitate, id quod supra adfatim demonstrasse mihi videor, tanta tamque eximia ars latet, ut Iliadem simplicissimam eandemque artificiosissimam epopoeiam appellare liceat.

§ 118. Quodsi cum simplicissima hac Iliadis structura compositionem Odysseae contuleris, eam quidem multo contortiorem et multipliciorem esse facile largieris; nam duas continet actiones, quae non modo aliquotiens ipsae inter se interrumpunt, verum etiam expositionis epicae interiectu in duas partes ita dissecantur, ut bipartita illa actio, in qua prior epopoeiae pars versatur, dimidiata videatur esse; eoque accedit, quod poëta scitissimus artificiosissimae huic compagi iustam et solidam tragoediam intexuit, quae, cum nec expositione, et ea duplici, nec actionis gradationibus nec summo gradu nec regressibus nec denique exodo careat, omni numero perfecta dici potest.

Quae cum ita sint, in una Odyssea duplices virtutes — et epopoeiae et tragoediae — coniunctas et quasi mixtas esse dixerim; quod idem fere in Iliadem cadere supra exposui. Quid quaeris? Utriusque epopoeiae compositio tam artificiosa est, ut magnopere dubitem, num uspiam gentium ullum poëma epicum inveniri possit, quod, si artem compositionis respexeris, Iliadem et Odysseam aequiperare possit.

§ 118a. Non possum, quin, a proposito paululum digressus, haec addam. Etenim singularis et unica unitas carminum homericorum adeo non intra poeticae compositionis terminos sese continet, ut longius etiam porrecta ad Homeri philosophiam rerumque scientiam pertineat. Nam, cui rei documento est maius opus a me confectum, quod quidem „Homerische Realien“ inscribitur, una et eadem est in rebus cosmographicis et geographicis, quas dicunt, eadem in historia naturali, quam quidem Homerus norit, eadem in publicae privataeque vitae legibus institutis moribus, eadem in rebus divinis et mythologicis, eadem denique in rebus psychologicis praeceptisque ethicis. Unitatem autem cum dico, eam nolo ita intellectam, quasi, si diis placet, neutra epopoeia — nec Ilias nec Odyssea — in omnibus his rebus sibi non constet: immovero utrumque carmen plane et omnino et secum ipso et cum altero adeo conspirat et concinit, ut unius eiusdemque auctoris et ingenium et philosophiam agnoscere nobis videamur.

Atque artificium tam praeclara unitate insigne atomistae, quos dicunt, discerpere et in deformem sescentarum particularum congeriem transformare audent!

§ 119. Iam Iliadis et Odysseae compositione ad obrussam exacta revertor ad eam quaestionem, circa quam hae „vindiciae“ totae vertuntur, quae quidem ad epopoeiarum homerearum „unitatem“ pertinet. Num fieri potest, quaeso, ut contorta tantorum operum structura aliunde nascatur quam ex ingenio unius poëtae, qui, in altissima meditatione defixus, imaginem operis componendi animo concipit, conceptam lineis designat et describit, qui et singula omnium rerum, quas enarrat, momenta et causas, quibus homines ad agendum impelluntur, diligenter perpendit et examinat, qui id agit et spectat, ut omnes fabulae (mythi) actionisque partes plane inter se congruant ac totum quiddam efficiant, qui gradationibus sagaciter inventis actionem epicam ad summum gradum evehit, eandemque regressibus gradationibus illis contrariis ad exodum declinantem facit, qui denique universo operi suam mentem, suum ingenium, suam proprietatem ita inspirat, ut uni auctori illud deberi vel caeco appareat? Minime vero. Immo uni illi Homero, quem Iliadis et Odysseae auctorem fuisse universa antiquitas clamat, incredibilis illa unitas vel, ut Wolfii verbis[1]) utar, mirificus ille concentus originem debet, qui ex tota carminum homericorum compositione spirat, quo in concentu summa omnis artificii virtus cernitur.

Iam perpendentibus nobis, damnosa die omnes res imminui, nec quicquam propius factum esse, quam ut carmina homerea, in sescentas particulas dilapsa, fati iniquitate paene radicitus exstinguerentur, nonne confitendum erit, ipsis his carminibus, quippe quae fato paene invito, multis saeculis post denuo collecta, pristinum partium suarum membrorumque tenorem ordinemque constanter ac prope integrum servaverint, indissolubilem quandam ac paene ferream unitatem a poëta ingenitam esse, quam non imber edax, non aquilo impotens aut innumerabilis annorum series temporumve fuga diruere possit?

§ 120. Quid ergo? Num tam admirabilem tamque perfectam unitatem Homero originem debere negabimus, eidemque gravissimum disponendi componendique officium, cui tales unitates debentur, in quo ipso divini poëtae ingenium exsultat et triumphat, abrogandum esse censebimus? Et cui tandem praeclaram illam compositionem, mirificum illum concentum in laude ponemus? An carminum homereorum ad interitum ruentium restitutoribus? an diasceuastis? Dii approbent! Quod uni eidemque poëtae aegerrime contingit, ut omnia membra, omnes partes poëmatis sui eodem colore imbuat, unaque velut forma percutiat, id diasceuastarum gregi inter se dissentienti et discordanti contigisse credemus? Quod alio loco[2]) docebo, ne duo quidem ingenii fetus non ab eodem auctore editos adeo inter se congruere posse, ut prorsus eandem mentem spirent, id hoc loco mihi anticipandum argumentique loco adhibendum esse censeo: nam si ne duo quidem poëtae ita inter se conspirant, ut

[1]) Proleg. ad Hom. p. CCLXV.
[2]) § 142.

plane inter se concinentia proferre possint, quanto minus credibile est catervam diasceuastarum tantopere inter se consensisse, ut carminibus omnis cohaerentiae expertibus tam miram unitatem inspiraret, eademque non modo in ordinem redigeret, sed etiam ad iustae compositionis artem et normam revocaret!

§ 121. Quid vero, praeclara Iliadis[1]) compositione explicata et enodata, de doctrina lachmanniana iudicabimus, qua Homerum belli troiani heroes non iustis epopoeiis, sed separatis minutulisque carminibus celebrasse edocemur? Ipse Lachmannus, si ab inferis excitari posset, ex eoque quaereretur, quo tandem modo quove miraculo eo interprete tam minutula poëmatia tam mirifica arte componi et in unius artificii compagem conglutinari potuerint, vereor, ne, idonea interpretatione frustra circumspecta, silentium teneret, neve haberet, quemadmodum rem explicaret. Quid enim adferre posset? An Solonem, Pisistratum eiusque adiutores, scilicet omnis Minervae homines, artem poëticam tam eximie calluisse, ut tanquam ludibundi frusta poëmatiorum in artificiosissimas epopoeias converterent? At id quidem et supra et in iis capitibus, ubi de Solonis Pisistratique in Homeri carmina meritis[2]) disputatum est, in iisque, ubi de Lachmanni doctrina explicabo[3]), satis refutatur. An Lachmannus iterum ad „mythum“ confugeret diceretque artificiosissimam illam Iliadis compagem non tam uni poëtae, quam ipsi mytho deberi? Nec dubito, quin Lachmannus, si coram nobiscum agere posset, istum suum mythum causaretur; nam, si Friedländero fides habenda est, ipse Lachmannus, id quod infra[4]) accuratius tractabo, in epistula quadam ad Lehrsium data scripsit: poëmatum epicorum unitatem non unius poëtae arte, sed ipso mytho effici; atqui illa unitas ipsa poëmatum compositione nititur et continetur; ergo Lachmanno interprete ne compositio quidem poëmatum epicorum aliunde oriri potest quam ex ipso mytho. At id quidem refellere vix opus est; nam mythus, cuius initia et semina ex rudi indigestaque fabellarum mole temere conflantur, antequam poëta eo potitur, nativa sua ac simplici forma indutus, id est impolitus atque incultus per hominum ora volitat; tum demum, si a poëtis in ius dicionemque receptus est, excolitur et perficitur, denique ita conformatur, ut artificiosae poëmatis compagi conveniat. Unde efficitur, mythum non sua sponte unitatem illam artificiosamque compositionem ex se gignere posse, sed ipsi poëtae unice eam deberi. Quid quaeris? Haudquaquam fieri potest, ut mythus ille popularis, qui libere dissoluteque, ne dicam effrenate per hominum ora vagatur et errat, ab omnique legitima forma ac specie prorsus abhorret, nulla causa extrinsecus adlata neque ulla compede aliunde ei admota, poëticae compositionis lege ac norma astringatur, ad unitatemque in se ipsa totam et rotundam revocetur. Sed rem iterum ac saepius tractatam longius persequi piget, ne „crambe repetita“ miseros lectores occidisse dicar.

[1]) Praetermitto hoc loco Odysseam, cuius tractatione critica Lachmannus non minus supersedit et abstinuit quam ipse Hermannus, cuius impulsu Lachmannus ad haec studia exercenda se contulit.
[2]) § 20. [3]) § 168. [4]) § 179.

PARS ALTERA.

DOCTORUM VIRORUM STUDIA HOMERICA RECENSENTUR ET EXAMINANTUR.

PRIOR AETAS,

QUAE FR. AUG. WOLFIUM EOSQUE CRITICOS, QUI EUM PROXIME ATTINGUNT, COMPLECTITUR.[1]

[1]) Recentiorum recentissimorumque criticorum studia Homerica alteri „vindiciarum“ volumini reservabo.

CAPUT QUARTUM.

Carminum homericorum historia critica, quam dicunt, inde a Wolfio usque ad recentiorem aetatem strictim adumbratur.

§ 122. Temporibus antewolfianis non solum ipse bonus Homerus, sed etiam tota civitas erudita, placidissima pace et otio obruta, ita dormitabat, ut nec ille hominibus litteratis ullos scrupulos iniceret, neque hi de carminum homericorum origine aut ipso Homero quicquam laborarent. Immovero, felicissimo errore ducti, unum suum et unicum Homerum tam temere admirabantur, ut cum posterioribus poëtis epicis, Vergilio Tassone Miltono, in unam eandemque capulam eum conicerent, inani verborum strepitu eximiam eius sublimitatem et sapientiam cum incredibili naturae humanae atque vitae communis scientia coniunctam ad astra tollerent, denique „philosophiam homeream" explicare et interpretari non reformidarent; tantumque afuit, ut in Iliade et Odyssea ullas discrepantias aut inaequalitates odorarentur, ut unica unitatis rotundaeque constructionis exemplaria eas praedicarent. Quo in beatissimo errore eo magis affirmati sunt, quod Homerum aut stilo armatum aut servo suo dictantem sibi finxerunt, neque animum induxerunt, unquam homines fuisse, qui artem scriptoriam ignorarent, omninoque omnibus iis carerent, quae ad libros conscribendos necessaria sunt.

§ 123. In media hac securitate publica civitati eruditae vel potius omnibus hominibus litteris communibus et humanitate politis universoque, ut ita dicam, orbi litterato incredibilem terrorem tumultumque iniecit Fr. Aug. Wolfius, ut qui in libello, qui „Prolegomena ad Homerum" inscribitur,[1] gravissimis argumentis comprobaret, longo demum tempore post homericam aetatem artem scriptoriam apud Graecos ita in usum et consuetudinem venisse, ut tam amplae epopoeiae, quae tot milia versuum complecterentur, litteris mandari possent; unde non sine magna probabilitate sequi visum est, carmina homerea per multa saecula viva Homeridarum rhapsodorumque voce esse propagata. Eo accessit, ut idem ille Wolfius non modo in ipsis carminibus graviores aliquot discrepantias deprehenderet, sed etiam

[1]) Plena inscriptio haec est: Prolegomena ad Homerum sive de operum homericorum prisca et genuina forma variisque mutationibus et probabili ratione emendandi. Scripsit Fr. Aug. Wolfius. Volumen I. Halis Saxonum, e libraria orphanotrophei. 1795. Liber iterum typis descriptus est a. 1859 (Berolini, Calvary).

ex scholis venetis paulo ante in lucem protractis convinceret, iam Alexandrinos in carminibus illis examinandis et perquirendis summa iudicii severitate esse versatos, eosdemque non uno nomine ea in dubium vocasse. Qua investigatione discrepantiarum, quae per tot saecula neglectae latuerant, prolegomenorum scriptor Wolfianis ansam praebuit et quodammodo facem praetulit ad insatiabilem illam carminibus homericis obelos appingendi libidinem, qua isti „discrepantiarum venatores", quos Nitzschius dicit, recentiore tempore in Homerum saevierunt. Quod unquam fieri posse ipse Wolfius minime praevidit; immo carminum dilectissimorum unitatem impugnare usque verecundatus est, et semet ipse accusavit, quod vulgarem fidem destruere ausus esset. Verum haec quidem hactenus: temere anticipavi, quae in capite quinto fusius persequar, cui accuratiorem doctrinae wolfianae disquisitionem reservavi.

§ 124. Prolegomenorum editione Wolfium animos omnium hominum eruditorum sollicitasse, ne dicam obstupefecisse supra dixi; quae animorum perturbatio vix dici potest quam late patuerit, intraque philologorum circulos[1]) adeo non sese continuit, ut nec poëtae nec philosophi nec omnino omnis generis homines litteratiores controversiae homericae se immiscere supersederent, et Wolfii sententiam aut comprobarent aut impugnarent. Et ex poëtarum quidem numero Schillerus imperiosa quadam auctoritate principatum sententiae ita tenuit, ut dicere non cunctaretur, carminibus homericis unitatem abiudicare barbarorum esse. Multo minus praefracte sententiam tulit Goethius, qui, cum diu inter „unitariorum" et Wolfianorum sententias incertus fluctuasset, ac tandem paene invitus Wolfio adstipulatus esset, provectiore aetate palinodiam cecinit, et desultoria quadam inconstantia in „unitariorum" castra refugit.[2]) Herderus denique, qui Homerum poëtam „popularem" esse olim divinando potius adsecutus erat quam ratiocinando cognoverat, nec criticorum philologorum animos tum in se converterat, nec ipse unquam rectioris sui iudicii satis sibi conscius fuisse videtur; certe ad Wolfii doctrinam impugnandam isto telo uti non induxit animum.

§ 125. Ac ne philosophi quidem, ut dixi — nam ceterorum „poëtillarum" turbam praetereo —, de novatrici Wolfii doctrina iudicio abstinuerunt: quo in genere maxime eminet auctor „orationum Germanorum nationi dicatarum", Johannes Amadeus Fichte, qui ad Wolfium scripsit:[3]) quod ille studiis historicis, id „a priore" sese invenisse: ad quam adsentatiunculam Wolfius non sine iocosa quadam ironia rescripsit.

Neque minus Wolfio adstipulati sunt Fridericus Schlegel et

---

[1]) Ex philologorum numero subsecivis operis, ut aiunt, Heynium, Wolfii praeceptorem, commemoro, qui in prolegomenorum censura tecte significare non erubuit, Wolfium ad prolegomena conscribenda suis (Heynii) praelectionibus academicis esse excitatum. Quam impudentiam Wolfius cum indignatione reiecit.

[2]) Cf. K. Hoffmeister, Schillers Leben, Geistesentwicklung und Werke. Stuttgart, 1840. IV. p. 142. 143.

[3]) J. G. Fichtes Leben und litterarischer Briefwechsel; quem libellum edidit filius: II. p. 432—436.

Guilelmus Humboldt,[1]) quorum ille, quanquam rerum novarum minime erat cupidus, tamen prolegomenorum scriptorem utroque pollice laudavit. „Opus wolfianum," inquit,[2]) „praeclarum peculiaris quaestionis historicae specimen est: tantum et cognitionis scientiaeque et veritatis studium ex eo spirat, tantaque arte eius scriptor magnam id genus sententiarum animadversionumque perpetuitatem et subtiliter definivit et arte inter se copulavit; ac profecto mireris, Wolfii adsentatores opus illud paene minus etiam intellexisse, nedum in usum suum convertisse, quam eius adversarios."

§ 125a. Cum prolegomenorum scriptor bonum Homerum omni honore auctoritateque antiquitus ei tributa adeo spoliasset, ut ne ex rhapsodorum quidem numero eum excludere verecundaretur, recentiorum philologorum eruditissimus quisque,[3]) ut magni poëtae umbra saltem vel species servaretur, maxime id efficere studuit, ut Homerus Iliadis et Odysseae inventor vel, si mavis, conditor, qui utriusque epopoeiae fundamenta iecisset, esse crederetur, ne scilicet maeonius vates homo ab hominibus prognatus esse desineret.

Atque ab „esoterica" poëtarum doctrina alienissima est ac paene scholasticam sapientiam sapit sententia Ludovici Disseni, opinantis videlicet, ingeniosum aliquem poëtam — utrum Homerus ille fuerit an alius quidam, reticet — „thematia" quaedam vel minutula pensa, maiorum poëmatum tanquam prolusiones, posuisse, opusque ab eo incohatum a compluribus aliis poëtis — aequalibus et adseclis — elaboratum esse atque dilatatum. Dii approbent! Praeclarum habemus commentum, quo in medias res scholasticas abripimur: magister de cathedra discipulorum coetui pensa imperat, quorum lineamenta praecipit et quasi praeformat; pueri, Orbilii illius plagosi ferulam trementes atque lineamenta ab eo praecepta diligentissime persequentes, velocissimo calamo pensa imperata conscribillant. Tantopere autem idem ille Dissenius commento suo delectatur, ut gratam epopoeiarum tanto miraculo natarum unitatem et eximiam vatum illorum artem praedicet, qua tot tamque artificiosa membra in unum corpus copulaverint: proinde quasi multorum opera singularum rerum concentus atque totum quiddam effici possit, non tota res turbetur et corrumpatur. — Neque probabiliora sunt cetera, quae Dissenius commentus est. Ne plura: Dissenius poëtarum artem tam angusto modulo metitur adeoque ignorat, ut magnas epopoeias tirunculorum more rituque confici posse persuasum habeat. Sed haec quidem hactenus.

De studiis homericis Godofredi Hermanni, qui, cum initio a Wolfii partibus stetisset, postea, Wolfianorum castris desertis, suo Marte rem gessit, capite sexto accuratius exponam.

§ 126. Accedo ad tertium illustrium illorum criticorum, quos supra nominavi, ad Carolum Lachmannum, veteris poësis germanicae investigatorem et discipulum Godofredi Hermanni, cuius impulsu ad

---

[1]) W. v. Humboldt, Lebensbild und Charakteristik von R. Haym. p. 139. Körte, Leben Fr. A. Wolfs. I. p. 276.

[2]) Geschichte der Poesie. p. 158. Cf. Bernhardy, griech. Litt.-Gesch. II, 1. p. 122.

[3]) Maxime huc pertinent Dissen, Hermann, Lachmann, Bernhardy.

haec studia homerica se contulisse videtur. Hermannus enim, de investigandis Homeri interpolationibus, et iis late diffusis, commentatus et sententias suas attentius consideranda Iliade fortasse etiam ad maiorem gradum verisimilitudinis evehi posse suspicatus, non modo futuris criticis viam commonstrat et, ut dici solet, digitum ad rationem iis ineundam intendit, sed etiam fieri posse sperat, ut certis argumentis convincatur, Homerum in Iliade non solam Achillis iram, sed separatis carminibus partes quasdam belli troiani celebrare animum induxisse.[1]) Quibus verbis Lachmanni animum vellicasse eumque instigavisse videtur, ut ad Iliadem perscrutandam accederet, et eam in „separata carmina" dissecaret. Cuius conclusiunculas falsis propositionibus praemissis, quas artis logicae periti dicunt, niti, cum scilicet postulet, ut carmina homerica, quasi libri calamo scripti essent, omnibus vitiis, vacent ideoque falsas esse debere, cum alii aperte confessi sunt,[2]) tum ego capitibus VII, VIII, IX fusius demonstrabo.

Bernhardyanam de carminibus homericis sententiam capite duodecimo accuratius excutiam.

§ 127. Lachmannus, cum libellum, qui „observationes de Homeri Iliade" inscribitur, in lucem edidit, hominibus philologis quasi signum dedit, ut, opus ab ipso inceptum persecuti, Iliadem in membra dissolvere aliasque eius partes super alias ex sedibus, quas per multa saecula obtinuerant, furca expellere pergerent. Ne multa: inde ab illo tempore „minutulorum poëmatum venatores," quos Nitzschius vocat, per quaestionis homericae campum longe lateque vagantur atque exsultant; quorum criticorum est ubivis locorum discrepantias odorari et, sicubi tale quid iis suboluit, continuo in margine obelum appingere totumque locum aut leniore iudicio in suspicionem vocare aut ultima severitate adhibita civitate privatum foras proicere. Sed quoniam istud criticorum genus infra[3]) in iudicium vocare mihi proposui, hoc quidem loco de iis plura dicere nolo. Nec mihi in animo est omnes eos hic percensere, qui aut ex Lachmanni disciplina exierunt, aut, eius scriptis excitati, ad haec litterarum studia se contulerunt. Praetermitto igitur Jacobum la Roche, qui certa quaedam indicia interpolationum et conglutinationum, quas Ilias et Odyssea expertae sint, expiscari, earundem epopoeiarum originem explicare, denique singula carmina, quae Odysseae subsint, quae quidem hodie cognoscere liceat, secernere conatus est;[4]) praetermitto Maximilianum Sengebusch, qui non sine magna sagacitate ea, quae de Homeri patria et aetate memoriae prodita sunt, examinare, vera a falsis disiungere indeque fundamenta, quibus antiquissima poësis homericae

1) De interpolationibus Homeri diss. Lips. 1832. (Opusc. Vol. V. p. 53—77).

2) Velut Grimmius, qui in oratione Lachmanni memoriae dicata (p. XI): „Hauptsächlich aber," inquit, „muss ich das wider sie (sc. criticam rationem Lachmanni) einwenden, dass mit Unrecht von einer zu grossen Vollkommenheit des ursprünglichen Epos ausgegangen werde, die wahrscheinlich nie vorhanden war, und in ihm alle Flecken zu tilgen, alle wirklichen oder scheinbaren Widersprüche aus ihm zu entfernen seien."

3) Cap. XI.

4) Ueber die Entstehung der homerischen Gedichte in: Zeitschr. für die österr. Gymn. 1863. p. 161—202.

historia nititur, detegere et aperire studuit;[1]) omitto Adolphum Kirchhoff, qui Odysseam in varias partes pro diversa earum origine dissecuit;[2]) omitto Arminium Köchly, qui totam Iliadem ad sedecim libros redegit;[3]) mitto sescentos alios, qui, Wolfii vestigiis ingredi sibi visi, fundamentis ab eo positis novam doctrinam superstruxerunt, de qua ipse Wolfius ne cogitavit quidem. Quos omnes hoc loco sine scelere praeterire mihi licet, cum recentiorum recentissimorumque criticorum studia homerica in altero Vindiciarum volumine accuratius examinare mihi propositum sit.

§ 128. Neque vero defuerunt, qui huic Wolfianorum industriae novarum rerum molitrici fortiter obluctari atque castra „unitariorum" acriter defendere studerent; quo ex numero maxime eminet Gregorius Guilelmus Nitzsch, qui, cum Lachmanni doctrinam funditus repudiaret ac paene carbone notasset, omni eruditionis et sagacitatis supellectile adhibita, adsiduo et indefesso labore eum impugnavit, novisque semper argumentis adversarium adgressus est.[4]) Homerum autem eum interpretatur, qui — ut ipsissimis Nitzschii verbis utar — ex variis antiquiorum carminibus, quae de rebus troianis fuerint minora, multum profecerit, et qui Iliadem, quae antea de sola Iovis βουλῇ fuisset, conformaverit in hanc quam legimus de ira Achillis, primum Graecis gravi, deinde in ipsum vertente; donec, Priami maxime admonitione, in temperantiam humanaeque sortis conscientiam vocetur. In hoc carmine plurima ex antiquioribus retenta suspicatur Nitzschius; Odysseam vero ab eodem fortasse poëta simili quidem antiquiorum usu, sed tamen ita compositam, ut non solum hanc operis descriptionem primus invenerit, sed etiam singula ipse exornaverit pleraque omnia.[5]) Quam sententiam in commentariis odysseacis[6]) defendere atque idoneis argumentis fulcire studuit.

§ 129. Acerrimum „unitatis" propugnatorem Nitzschium et fuisse et habitum esse supra dixi. Qui quanquam ultima semper severitate ardentissimoque studio causam suam defendit, tamen eius ratio omnem reprehensionem effugere nequit. Etenim Nitzschius eodem fere errore, in quem olim critici Alexandrini, nostris temporibus Lachmannus aliique inciderunt, captus fuit, cum sibi persuaderet, Iliadem et Odysseam, quales ex Homeri officina exierint, opera omnibus numeris perfecta omnique labe vacua fuisse, criticorumque esse hanc perfectionem ubivis et quacumque ratione restituere. Quam autem viam iniit ille, ut id efficeret? Omnes videlicet discrepantias, inaequalitates rerumque repugnantias, quae „unitati" carminum

1) Homerica dissertatio prior et posterior, quae teubnerianae editioni praemissae sunt.

2) Die homerische Odyssee und ihre Entstehung. Text und Erläuterungen. Berlin 1859.

3) Iliadis carmina XVI. Scholarum in usum restituta edidit A. Köchly. Lipsiae, Teubner. 1861. Plura de hac re vid. apud Bonitzium: über den Ursprung der homer. Gedichte adn. 89.

4) Potissimum Nitzschii opus, quod huc pertinet, hoc est: Die Sagenpoesie der Griechen, kritisch dargestellt. 1852.

5) Meletem. de historia Homeri. p. 112. Cf. Godofr. Hermanni opusc. Vol. V. p. 52. Vol. VI. p. 86.

6) Erklärende Anmerkungen zu Homers Odyssee. Praef. ad vol. II.

illorum officere videbantur, litura sustulit; neque infitias ivit, auctorem Iliadis antiquiora carmina aut tota aut magna ex parte poëmati suo inseruisse.[1]) Unde apparet, quam paene nihil discriminis intercedat inter rationem Nitzschii et eiusdem illius Lachmanni, quem implacabili odio persequitur: uterque adulterina aucupatur, quae ex germanorum societate et contagione expellere studet.

§ 130. Ex numero eorum, qui in „unitariorum" castra se coniecerunt, iisque tutandis eximiam operam navarunt, praeter Nitzschium commemorandus est Guilelmus Bäumlein, qui compluribus scriptis suam de carminibus homericis sententiam exposuit.[2]) Censet autem ille, ut graviora quaedam adferam, licet plura in iis discrepare videamus, tamen non esse idoneam causam, cur ipsum argumentum Iliadis aut Odysseae, eamque fabulam, qua partes omnes contineantur, conflatam putemus e multis iisque diversis carminibus;[3]) in Iliade argumentum fabulae necessitate quadam ita produci ait, ut et continuae omnes partes sint, invicemque sese excipiant, et in superiore aliqua (sic!) quam in extremis partibus subsistere nequeamus;[4]) Odysseam denique, si pauca excipiantur, integram adhuc relictam esse, neque illius laceras rhapsodias restituere quenquam esse conatum; eiusdemque partes omnes ita ad summam fabulae, Ulixis reditum, referri, ut nihil inveniatur, quod per se consistere possit.[5]) Quibus ex dictis satis, ni fallor, perspici potest, quam notionem cogitationemque de carminum homericorum natura et indole vir doctus sibi informaverit.

Nec vero de Naegelsbachio silendum arbitror, qui ut omnino Homero suo egregiam operam navavit, ita dilectissimorum poëmatum unitatem mordicus tenuit, tantaque pervicacia defendit, ut ne unam quidem eorum syllabam nisi coactus sibi eripi pateretur, omnesque „atheteses" sanguine viperino cautius vitaret. Cuius exemplum utinam omnes critici penitus animo suo mentique mandassent!

§ 131. Inter eos criticos, qui recentiore tempore quaestionem homericam tractarunt, novasque de ea sententias protulerunt, auctoritate eminet eruditissimus ille Anglus, Georgius Grote, qui suspicatur, Iliadem nostram bipartitam esse, id est ex Achilleïde et Iliade minore constare, quarum haec in illam inclusa sit;[6]) cuius vestigiis postea institit Friedländer.[7]) Sed utriusque viri sententiam hic strictim commemorasse satis habeo: accuratiorem eius perscrutationem decimo capiti reservo. Nec tamen retineri possum, quin iam hoc loco ambiguam Friedländeri sententiam mirer, qui, incredibilem

---

[1]) Cf. die Sagenpoesie der Griechen: p. 109. 123. 126. 148. 220. 225. 254 e. q. s. 257. 273. Bonitz, über den Ursprung der homerischen Gedichte adn. 88.

[2]) Praef. ad tauchnitzianam Iliadis editionem. Eiusdem censura libelli lachmanniani in: Zeitschr. für die Alt. 1848: N°. 41—43. 1850: N°. 19—22. Commentationes in Philol. VII et XI et in Jahnii Ann.: 1875. p. 34—46. Commentatio de compositione Iliadis et Odysseae. Maulbronn 1847.

[3]) Praef. ad tauchn. ed. p. XXXIV.

[4]) Ibid. p. XXII.

[5]) Ibid. p. XIX.

[6]) History of Greace. Vol. II. London 1846.

[7]) Die homerische Kritik von Wolf bis Grote. Berlin 1853. Georg Reimer.

Lachmanni sagacitatem se admirari et revereri confessus,[1]) nihilo tamen setius fere totam eius doctrinam reiciat. Reprehendit enim Lachmannum, quod carminum homericorum discrepantiis nimium tribuerit,[2]) qua in re ad Grimmium provocat; condemnat bipartitam primae rhapsodiae divisionem a Lachmanno propositam;[3]) condemnat criticam Lachmanni rationem, qua octavae rhapsodiae exordium misellum, mediam partem praeclaram esse iudicet,[4]) et Λ 72—77[5]) eiusdemque rhapsodiae vv. 540—542[6]) aliosque locos deletos velit; condemnat Lachmanni conatum alterius cuiusdam Iliadis vestigia indagandi;[7]) condemnat nimiam eiusdem morositatem, qua perfectum singularum partium concentum postulet[8]); condemnat eiusdem rationem criticam, qua eas ipsas rhapsodias (Σ—Χ), in quibus poëta altissime adsurgit, eiusque ars exsultat et triumphat, prioribus ceterorum poëtarum libris peiores esse ait;[9]) condemnat lachmannianas dictionis eloquendique formularum observationes, quibus praeclarus criticus efficere vult, ultimos Iliadis libros aliter distinctos alioque colore imbutos esse atque ceteri libri;[10]) condemnat — Sed illud potius quaesierim, quid in Lachmanno non condemnet, quid tandem aliqua saltem ex parte probabile esse censeat? At quae, quaeso, est ista tam eximia sagacitas, cui nihil debetur nisi opiniones tam perversae, ut ipsi illius sagacitatis admiratores eas reiciant, ne dicam cum fastidio spernant? — — — Animo obversatur nescio quae fabella: venator quidam opima fera potitur: praeclaram bestiam! inquit, oculos animumque in praeda pascens, eidemque avido morsu pellem detrahit —

§ 132. Temporibus postlachmannianis homines critici in duas potissimum partes discedunt: alteri enim, Lachmanni exemplum secuti, singulas carminum homericorum partes et eorum iuncturas odorantur, discrepantias et inaequalitates detegere student, denique id agunt, ut, „atomistica" scissorum industria adhibita, carmina illa in singula poëmatia dissecent; alteri, in grammaticis potissimum rebus versati atque consuetudinem sermonis versuumque structuram perscrutati, mutuam singularum partium rationem cognoscere conantur. Quo in genere diligentissime elaboravit C. A. J. Hoffmann, qui in libro, qui „quaestiones homericae" inscribitur,[11]) subtilissimas de rebus grammaticis et metricis quaestiones instituit, cuius tamen non tam inventa comprobanda, quam ingentem adsiduitatem agnoscendam esse arbitror: alter enim Dionysius χαλκέντερος, de versus homerici caesuris et numeris, de hiatu, de syllabarum finalium brevium productione, de digamma ante vocales litteras initiali, de neglecto digamma, de alia aliorum carminum iliacorum aetate certior fieri studuit. Qua

---

[1]) Ibid. p. V: „Ein wiederholtes Studium seiner Betrachtungen über die Ilias hat mich zwar von der Richtigkeit seiner Ansicht nicht überzeugen können; aber es hat mich immer von Neuem mit Bewunderung und Ehrfurcht vor dem grossartigen Scharfsinn dieses einzigen Mannes erfüllt (!!!)".

[2]) Die homer. Kritik p. 27. [3]) Ibid. p. 29. [4]) Ibid. p. 31. e. q. s.

[5]) Ibid. p. 39. [6]) Ibid. p. 41. [7]) Ibid. p. 50.

[8]) Ibid. p. 54. [9]) Ibid. p. 57. [10]) Ibid. p. 59. 60.

[11]) Plena inscriptio haec est: Quaestiones homericae. Scripsit Car. Aug. Jul. Hoffmann. Clausthaliae. 1842.

in re magnopere dolendum est ex tanto molimento ad ipsam de homerica unitate quaestionem paene nullum redundasse fructum; pro nihilo enim putandum est, quod Hoffmannus ex quaestionibus suis effecit, sex carminum iliacorum aetates distinguendas esse, quibus singulas eorum particulas ita distribuit,[1]) ut corpus epicum in disiecta membra dilaceraret. Cur autem Hoffmannus ex observationibus illis metricis, quae per se minime parvi sunt aestimanda, tam perversa eruerit, manifesto apparet: absurdum est enim ex talibus quaestiunculis, quae in rebus minutissimis versantur, de universorum carminum natura et indole coniecturas facere. Quae ratio quam lubrica sit, praeter Hoffmannum testis est Bernhardus Giseke, qui ad eam audaciam processit, ut ex praepositionum usu carminum homericorum aetates et tempora definienda susciperet:[2]) quod propositum non minus ridiculum est, quam si quis ex „spatiolis" — venia sit verbo! —, quae formicae, cochleae, vermiculi, aliaeque id genus bestiolae perreptant, ipsius terrae motum et cursum investigare vellet; nam magnae epopoeiae in universum aestimari volunt, non ex singulis minutulisque rebus, quam rationem inierunt Hoffmann et Giseke; nec impune id fecerunt illi quidem: nam inventa eorum tantopere inter se refragantur, ut, quas Iliadis partes Hoffmannus prioribus aetatibus adsignat, eas Gisekius fere posterioribus attribuat; quas ille posterioribus, hic fere prioribus.

§ 133. Sed quoniam Gisekii mentio facta est, non abs re fuerit rationem ab eo initam paulo accuratius examinare omninoque homerica eius studia, quorum explicationem alteri huius operis volumini reservari oportuit, iam hoc loco anticipando excutere.

Id igitur studet, ut dixi, ut ex praepositionum usu eaque doctrinae syntacticae parte, quae ad casuum rectionem pertinet, de carminum homericorum aetate coniecturas faciat. Unde illico oritur quaestio: quales sunt leges grammaticae et syntacticae, quae in carminibus homereis occurrunt? num ubique locorum sibi constant? num aequabiles sunt et perpetuae? an variantur mutanturque atque variis poëtae desideriis et dictionis poëticae vicissitudinibus accommodantur?

Quae quaestio ut profligari possit, ab iis poëtis et scriptoribus proficiscendum esse arbitror, qui, calamis pennisque armati, libros conficiant, omniaque ad artem et ad praecepta revocent. Atque ab his quidem iure quodam nostro postulare debebimus, ut non solum ad artis normam et praescriptionem rationem suam dirigant, sed etiam in scribendi genere sibi constent, et opera sua tanta subtilitate liment ac perpoliant, ut quam maxime emendata sint et castigata. Qui si in rebus grammaticis et syntacticis incerti haesitarent fluctuarentque, aut dictionis inaequalitates et inconstantias admitterent, periculum esset, ne Aristarchi furiosi omnia sua fulmina in eos iacerent; neque iniuria illi quidem: nam cum scriptoribus illis supellex scriptoria abunde suppetat, nec opera sua corrigendi pertractandique

[1]) Quaest. hom. Vol. II. p. 252 e. q. s.

[2]) B. Giseke, die allmählige Entstehung der Gesänge der Ilias aus Unterschieden im Gebrauch der Präpositionen nachgewiesen. Göttingen 1853.

facultas iis adempta sit, omnes elegantioris dictionis neglegentiae, omnes structurae verborum licentiae, omnino omnia „idiomata" iusto rariora, et quae a communi sermonis consuetudine nimis recedunt, ab illis admissa, totidem vitia ac paene delicta habenda sunt.

§ 134. At longe alia est ratio poëtarum antiquissimorum. Qui cum artis scriptoriae usu privati ac poëmatis suis accuratiorem limam adhibere prohibiti sint, absurdum esset ab iis postulare, ut aut in ipsis rebus aut in oratione dicendique genere, quod in sescentis rebus grammaticis et syntacticis versatur, prorsus sibi constent. Minime vero fieri potest, ut legibus grammaticis iusto rigidioribus se accommodent; nam ipsis versuum numerorumque compedibus tam arte astricti sunt, ut, si insuper in regulae grammaticae angustias compellerentur, fere omni libero motu carerent. Necesse est igitur spinis grammaticis syntacticisque eos quam minime impediri; necesse est dialectum, qua utuntur, maxime tractabilem esse et tanquam ceram tam facile fingi posse, ut ad versuum numerorumque necessitatem quasi sponte se conformet accommodetque. Unde explicatur, cur dialecto homericae aliquanto laxiores habenae admissae sint; quam omnibus fere ceteris Graecorum dialectis: poëta — iterum ac saepius dicendum est — compedes grammaticas et syntacticas cum fastidio reicit, cum versuum numerorumque velut tormento satis superque laboret. Quae cum ita sint, stolidum est Alexandrinorum ritu poscere, ut sermo homericus omni numero perpolitus omnique inaequalitate vacuus sit.

§ 135. Ex quibus omnibus efficitur, dialectum homericam a severiore artis grammaticae norma et praescriptione abhorrere et nescio quid soluti ac liberi prae se ferre. Sed propter hanc ipsam licentiam quaestio, quae in grammaticis et syntacticis Homeri idiomatis versatur, si qua alia, lubrica est, maximaque cautione eget.[1]) Etenim tantum abest, ut Homerus casuum, praepositionum, coniunctionum, modorum usum verborumque structuram certis legibus astringat, ut ad suum arbitrium iis utatur; quod cum pro praesenti necessitate subitoque ac temporario impetu fieri putandum sit, absurdum est discrepantias, quae in his rebus occurrunt, per aetates distribuere. Cui rationi si album calculum adiceremus, iidem confiteremur, suas cuique aetati leges esse, quibus casuum praepositionum, modorum verborum usus esset accommodatus; at poëta, ut dixi, omnino non certis legibus se astrinxit; ergo Gisekius toto caelo errat, si ex praepositionum usu varias carminum homericorum aetates distingui posse opinatur. Huc accedit, quod vir doctus prorsus neglexit, quantum ad grammaticas discrepantias in carmina homerica inferendas prava industria rhapsodorum potuerit conferre, ut qui minutula aliqua textus homerici mutatione efficere possent, ut vati maeonio novi quid obtruderetur, de quo ipse ne cogitaverat quidem. Quales mutationes cum ipsae quoque ex libidine factae sint, patet ne hac quidem ex parte ullam legem aut normam valuisse, sed meram licentiam.

[1]) Cf. de hac re: G. Curtius, Andeutungen über den gegenwärtigen Stand der homerischen Frage in: Zeitschr. für die österr. Gymn. V, 1854. p. 98 e. q. s.

Praeterea praepositionum usus, quod nec Curtium fugit,[1]) apud Homerum tam raro variatur, ut discrepantiae, quae in hoc genere occurrunt, minutae sint ac paene nullius momenti. Nec tamen retineri potuit vir doctus, quin rebus tam minutulis, tam fortuitis tamque incertis doctrinam superstrueret, ex qua varias carminum homericorum aetates internoscere posse sibi visus est! Quid mirum igitur, si iis, quae de homerico casuum et praepositionum usu scriptor praecipit, multa opinionum commenta intermixta sunt, quae ipse de suo intulit? Quae cum ita sint, vix fieri potest, ut ex Gisekii libello ad gravissimam illam de carminum homericorum unitate quaestionem quicquam lucis redundet. Quanquam enim non is sum, qui observationes ab eo factas nullius pretii esse existimem, tamen in universum eius libro nihil aliud efficitur, quam quod iterum ac saepius dixi, ex rebus minutissimis magna poëmata aestimare nihil aliud esse quam aquam ex pumice exprimere velle. Quid quaeris? Ex praepositionum usu aliisque id genus minutiis carminum homericorum aetates investigare portentosi ingenii est; quae ratio quam futilis sit, inde apparet, quod Hoffmanni et Gisekii inventa, ut dixi, prorsus inter se repugnant, et altera alteris rescinduntur. Sed haec hactenus.

§ 136. Restat, ut Odofredi Muelleri mentionem faciam, cuius sententiam consulto et cogitate ad extremum reservavi, cum, quantum ego sapio, omnium fere sententiarum maximam probabilitatem habeat, et ad meam ipsius proxime accedat.

Est autem praeclarus vir, ut hinc ordiar, „unitariorum“ sectae unice addictus. Primum enim eo iudice utrumque carmen per se ipsum admirabili quadam unitate excellit, quae in Iliade ex persona Achillis apta sit, quam sensim et paulatim ad perfectionem humanitatis perducere poëta sibi proposuerit,[2]) cum in Odyssea Ulixis reditus in patriam omniaque actionis momenta, quae cum eo conexa sint, sat firmam copulam efficiant, qua bipartita Odysseae actio contineatur.[3]) Deinde vero eodem iudice Ilias et Odyssea propinqua cognatione inter se coniunctae sunt, eandemque mentem spirant; virorum doctorum quorundam conatu, quo mythos religionesque alteras in Iliade, alteras in Odyssea inveniri demonstrare conati sint,[4]) nihil aliud effici, quam ut altera epopoeia ab altera libidinose seiungatur; differentias, quae in Iliade et Odyssea occurrant, non esse maiores quam quae saepenumero in unius eiusdemque hominis iuvenilibus senilibusque voluntatibus deprehendantur.[5]) Quod autem quaestio homerica hodie tantis difficultatibus laboret, id quidem vir egregius partim ex nostra ultimae antiquitatis ignorantia, partim inde explicandum esse censet, quod captum nostrum fugiat, quid sollers vates, in alta meditatione defixus, sua ingenii vi proficere possit; quae vis quam late

[1]) L. l. p. 99.
[2]) Geschichte der griech. Litt. I. p. 81—84. Cf. § 95—97.
[3]) Ibid. I. p. 98 e. q. s.
[4]) Quo ex numero eminet Benjamin Constant, quem nominatim commemorat Odofredus Müller I. p. 105 adn.; distinguit autem ille in opere suo, quod inscribitur „de la religion“ (Tom. III), tres historiae fabularis aetates in carminibus homericis obvias, ex quibus totidem eorundem carminum aetates efficit.
[5]) Gesch. der griech. Litter. I. p. 104—107.

pateat, id nos recentiores nostro modulo non posse metiri; quodsi quaeratur, quo tandem modo tam amplae epopoeiae posteritati propagari potuerint, statuendum esse, discipulorum vel adseclarum gregem senis vatis vestigiis institisse eiusque carmina collegisse, collecta palam fecisse; nec dubitandum esse, quin tota Ilias et tota Odyssea festis quibusdam diebus publice uno tenore ita recitatae sint, ut solida corpora eas esse auditoribus appareret; tum demum, cum praeter rhapsodorum recitationes aliorum poëtarum artificumque acroamata in consuetudinem venissent, illorum provinciam artioribus cancellis circumscriptam et epopoeias homericas totas recitari desitas esse; quo factum sit, ut Ilias et Odyssea, cum nondum litteris consignatae essent, solidorum corporum specie et forma privatae, in separata carmina dissolverentur, quae Solonis et Pisistrati demum opera collecta, litteris mandata, denique in pristinam solidorum corporum formam redacta sint.[1])

§ 137. Quid ergo? Ea ipsa res, quod tantus vir, qui non modo eleganti et recondita doctrina, sed etiam praestanti ingenii vi paene omnibus huius saeculi philologis et antiquitatis investigatoribus longe antecellit, carminum homericorum unitatem tam acriter tuetur, et in utroque carmine communis originis indicia tanta evidentia comprehendit, ut sine ulla dubitatione Iliadem et Odysseam uni et eidem auctori attribuat, nonne criticis istis, qui hodie insontem poëtam in membra discerpunt, aculeos scrupulosque non mediocres inicere eosdemque deterrere debebat, quominus in prava sua sedulitate perseverarent? Nam ipsi Odofredi Mülleri iudicio plurimum esse tribuendum arbitror, quippe qui, in quoquo litterarum genere versatur, mira ingenii vi et acie vel contortissimas res perspicere ibidemque, ubi alii halucinantur et errant, paene ludibundus rem acu tangere consueverit, ac ne tum quidem, si aut abstrusa quaestionis natura aut litterariae supellectilis penuria certo iudicio officiunt, sibi desperet, sed ingeniosa quadam divinandi vi, divino velut spiritu adflatus, ad ipsum rei nervum audacter penetret, ac, paene genii sui compos, ad ipsam veritatem tam prope accedat, quasi certissima argumenta praesto haberet.[2]) Quae cum ita sint, magnopere gavisus

[1]) Geschichte der griech. Litter. p. 107—110.
[2]) Quam acri subtilique iudicio praeclarus vir in rebus nodosissimis usus sit, testis est, ut ex multis exemplis hoc unum adferam, doctissimus graecarum dialectorum existimator, Ahrensius, quem nuper praeter omnem exspectationem repentina morte exstinctum esse eo magis doleo, quod ante hos XX fere annos, cum poëtarum lyricorum graecorum „anthologiam“ edere mihi proposuissem, et eximie mihi favit et in exsilio meo exsequendo egregie me adiuvit. Cuius ipsissima verba adferre mihi liceat, quae leguntur in commentatione, quae inscribitur „Ueber die Mischung der Dialekte in der griechischen Lyrik“ (in: Verhandlungen der Philologenversammlung. Göttingen. 1852. p. 57). „Die nähere Betrachtung,“ inquit, „ergiebt, dass eine Art der Dialektmischung überall von dem Entwicklungsgange der griechischen Litteratur in ihrem Verhältnisse zu den verschiedenen Stämmen abhängig ist. Diese historische Bedingtheit der Dialektmischung ist keineswegs bisher gänzlich verkannt worden. In manchen Fällen liegt sie zu klar vor, als dass sie auch der oberflächlichen Beobachtung hätte entgehen können; in anderen hat sie wenigstens ein feinerer Tact richtig herausgefühlt, wie denn namentlich K. O. Müller in seiner Geschichte der griechischen Litteratur treffliche Bemerkungen in dieser Beziehung gemacht hat“.

sum, quod scrupulosissima quaestione de meo in universum fere eadem inveni, quae Odofredus Müllerus mira sagacitate quasi praesagivit, sicque opiniones meas ex iterata carminum homericorum lectione delibatas et „a priore", ut aiunt, animo conceptas cum meis ipsius inventis tum summi viri consensu postea confirmatas et firmissima fulcimina inde nanctas esse intellexi. Cum tanto viro errasse, si erravi, nunquam me paenitebit.

CAPUT QUINTUM.

Fr. A. Wolfii studia homerica recensentur et examinantur.

§ 138. Summum Wolfii in carmina homerea meritum, quod ne posteriora quidem saecula agnoscere gravabuntur, ea in re cernitur, quod evidentissime convicit, Homero eiusque aequalibus artis scriptoriae usu aut prorsus interdictum fuisse, aut, si qua rudimenta artis illius exstitissent, eam nondum ita invaluisse, ut magnae epopoeiae litteris consignari possent. Quae cum ita sint, de Homero stilo armato iam nemo cogitabit, nisi vero insanit. Sed ipsa haec de arte scriptoria quaestio nihil aliud est nisi cura praeparatoria, qua defunctis demum ad disquisitionis homericae nervum penetrare licet; quae quidem disquisitio huc redire debet, ut de carminum homereorum origine, incremento perfectioneque certiores fieri studeamus.

§ 139. Iam si illud quaerimus, num Wolfius ad ipsum universae quaestionis homericae nervum pervaserit, tantum abest, ut id aiamus, ut praefracte negemus. Etenim, ut ipsum illum testem producam, in editionis praefatione[1]) ait, Prolegomenorum bipartitam esse rationem, cum prior pars **historica** sit, posterior **technica**; utramque quidem referri ad defensionem recensionis suae; sed in priore parte primas lineas se duxisse commentarii illius de historia homericorum carminum, imprimisque diligenter se disputasse de scribendi apud Graecos initiis, quae controversia usque ad id tempus ultro citroque optatis magis quam argumentis tractata sit.

Priore igitur quaestionis homericae parte, quam ipse **historicam** appellat, Wolfius defunctus est in priore, quod in manibus habemus, Prolegomenorum volumine; non item defunctus est altera parte, **technica,** quam ne incohasse quidem dici potest, cum alterum Prolegomenorum volumen omnino non lucem viderit.

§ 140. Wolfius igitur ipse aperte confessus est, ad difficillimam gravissimamque negotii sui partem, quae in quaestione **technica** versetur, se ne accessisse quidem; qualis autem sit haec quaestio, et

---

1) Homeri Ilias. Lipsiae. 1804. Praefationes priorum editionum. II. p. XI.

quid alteri Prolegomenorum volumini ille reservaverit, leviter quidem, sed ita tamen significavit, ut consilium eius quodammodo percipere queamus. Ait enim in eadem illa praefatione[1]): si nemo amplius quaerat, scripseritne vates, necne scripserit, illud in controversiam esse venturum, quantae partis Homericorum Homerus videatur auctor esse, atque utrum ipsi, an Homeridis, Pisistratidis criticisque tribuenda sit huius splendidissimorum duorum operum artificiosae formae et compositionis perfectio; has esse quaestiones illas et maximas et difficillimas.

Luculentius etiam, quanquam non sine aliqua haesitatione, idem Wolfius in praefatione illa extrema[2]) significavit, quaenam de carminum homereorum origine animo eius obversata sit sententia. Ait enim id forsitan effici posse, ut liquido appareat, Homero nihil praeter maiorem partem carminum tribuendum esse, reliqua Homeridis, praescripta lineamenta persequentibus; deinde novis et insignibus studiis ordinata scripto corpora esse a Pisistratidis, variisque perculta posthac a διασκευασταῖς, in levioribus quibusdam rebus etiam a criticis, a quorum auctoritate vulgatus textus pendeat.

§ 141. Ergo Wolfius, si extrema haec recte intellexi, hoc sibi voluit: Homerum Iliadem et Odysseam non modo primis lineis designavisse, sed etiam maiorem carminum partem confecisse; Homeridas et rhapsodos Homeri vestigiis institisse atque opus ab eo incohatum magis magisque perfecisse; praeclaris Pisistratidarum curis carmina homerea litteris mandata esse et in corporum epicorum formam redacta; denique opera diasceuastarum et Alexandrinorum, quibus vulgatus textus debeatur, ea politius etiam limata esse.

Quae sententia — ut pura puta coniectura eam niti omnique confirmatione argumentis munita carere sileam — hoc potissimum vitio laborat, ut mira illa et actionis et narrationis ad concinnitatem perfectio, qua epopoeiae homereae excellunt, in quibus, ut ipsius Wolfii verbis[3]) utar, tanta conspicitur unitas et simplicitas argumenti et dispositionis, ex ista carminum origine, quam Wolfius suspicatur, vix ullos explicatus habeat, immo miraculi instar esse videatur ab omni interpretatione abhorrentis. Wolfius enim, ut dixi, maiorem carminum partem Homero, reliqua Homeridis tribuenda esse censet; id quod eodem redit, ac si dixisset, Iliadem et Odysseam communi ipsius Homeri et Homeridarum sollertiae originem debere, tantumque inter magistrum et discipulorum gregem consensum et conspirationem intercessisse, ut omnes tot genitorum fetus eandem mentem spirarent, eodem colore imbuerentur, eademque, ut aiunt, forma percuterentur. Quasi vero tam ingens animorum concentus ac paene dixi unanimitas non ab omni naturae lege prorsus abhorreat.

§ 142. Etenim praefracte infitior omnia omnium populorum saeculorumque monumenta litteraria accurate perlustrantibus et percensentibus nobis contingere posse, ut vel duos maiorum poëmatum auctores inveniamus, qui omnibus numeris ita inter se congruant, ut

---

1) Praef. II. p. XII.
2) Praef. II. p. XXVI.
3) Praef. II. p. XX.

fetus ex utriusque ingenio procreati gemellae prolis instar inter se distingui nequeant, alterisque cum alteris eadem similitudo intercedat, quae „aquae cum aqua vel lacti cum lacte“. Nam in una unius hominis natura tanta est differentia, ut in intimis eius latebris recessibusque tenuissima sensuum, adfectuum animique motuum, quibus nos homines obnoxii sumus, discrimina haereant et lateant; quorum discriminum multitudo est infinita. Quo igitur modo fieri poterit, ut vel duae naturae humanae, quae videlicet variatrici illa creatoris cura ex innumerabilibus velut elementis, et iis subtilissimis, conflatae sunt et contextae, plane inter se concinant congruantque? aut, quod fere eodem redit, ut vel duorum poëtarum carmina prorsus eandem mentem spirent? Illud vero, quod fieri potuisse Wolfius sibi persuasit, ut magna Homeridarum caterva incredibili quodam consensu non solum inter se, sed etiam cum Homero ita conspiraret, ut communi magistri et discipulorum industria magna carminum copia eodem colore imbuta illa quidem eademque forma percussa componeretur, — illud, inquam, ab omni naturae lege et probabilitate tantopere abhorret, ut nisi novo ac prorsus inaudito naturae ludibrio tale quicquam accidere non potuisse sobrii harum rerum existimatores negare nequeant.[1])

§ 143. Sed ne intra hos quidem fines coniecturae illius Wolfianae imbecillitas sese continet. Wolfius enim et Homeridis rhapsodisque et Pisistratidis — qua quidem in re alterum vitium cernitur, quo sententia eius laborat — virtutem poëticam attribuit vel potius obtrusit, de qua ipsi ne somniarunt quidem. Nam Wolfio iudice Homeridae et rhapsodi lineamenta ab Homero praescripta persecuti esse atque opus ab eo incohatum magis magisque perfecisse censendi sunt. Si quis autem opus ab altero quodam inceptum persequitur, eiusque muneri vicarius ita succedit, ut omnes officii partes expleat, eum decessori ingenii facultate et sollertia aequiperare necesse est; ergo Homeridae rhapsodique ipsi Homero virtute poëtica minime cessisse putandi sunt. At manifestum est Wolfium sic statuendo bonis istis nimium tribuisse et, ut aperte dicam, immodicum eorum sese praebuisse aestimatorem. Etenim, ut alio loco[2]) iam dixi, Homeridae rhapsodique non, si diis placet, alteri Homeri, sed carminum homericorum velut conservatores vel vindices habendi sunt, qui perpetua eorum recitatione caverunt, ne oblivione obruerentur, effeceruntque, ut si non prorsus inviolata atque intacta, at in universum tamen integra et incolumia ad posteros propagarentur. En immortale illorum in carmina homerea meritum, quod maius est, quam ut in eo adquiescere iis non liceat.

§ 144. Huc accedit, quod Wolfius, ut dixi, ipsis quoque Pisistratidis nimium tribuit, utpote quibus artis poëticae palmam detulerit, cum Homerum ab eo ipso campo, in quo summi poëtae virtus exsultat et triumphat, cum contemptu excluserit. Nam, si Wolfio suasore a Pisistratidis demum carmina homerea ordinata et in corporum epicorum formam redacta esse statuerimus, necessario sequetur, temporibus antipisistrateis ea particulatim membratimve „per Homeridarum rhapsodorumque ora volitasse,“ seu, quod eodem redit, Homeri Musam non solida corpora epica, sed mera membra vel fetus immaturos inconditosque, ne dicam horridos peperisse; quae quidem doctrina „atomisticam“ Lachmanni et Lachmannianorum rationem sapit, quam Prolegomenorum scriptor inscius anticipando adumbrasse et quodammodo praeformavisse dici potest. Dii approbent! Illud „congruentiae aequalitatisque mysterium,“[1]) quod Bernhardy dicit, vel „mirificus ille concentus,“ quem Wolfius vocat,[2]) Onomacritis similibusque poëtis debetur; divinus Homerus nihil aliud nisi pusilla poëmata confecit praeclara illa quidem, sed interrupta, dissipata omnique unitate carentia!

1) Haec litteris iam consignaveram, cum animadverti fere idem argumentum iam a Minckwitzio (Vorschule zum Homer p. 50) contra Wolfium esse adlatum.

2) § 2. Cf. Minckwitz, Vorschule zum Homer. p. 44.

§ 145. Ceterum attentos Prolegomenorum praefationumque lectores fugere nequit, Wolfium inter varias de carminum homereorum origine sententias incertum fluctuasse, animique pependisse, quam in partem inclinaret. Plerosque vero scrupulos ei iniecisse videtur quaestio illa, cui potissimum mirificus ille tantorum operum concentus deberetur, cuiusque opera in unitatem tam incredibilem coaluissent; qua de re sententiam suam miro modo variavit. Nam idem ille Wolfius, qui in editionis praefatione, ut diximus, insignibus Pisistratidarum studiis unitatem illam deberi suspicatur, tanquam palinodiam canit in Prolegomenis,[3]) ubi imprimis Aristarchum unitatis auctorem esse coniectat; qua coniectura nihil excogitari potest absurdius. Quid? Grammaticum eruditissimum illum quidem, sed dumtaxat merum grammaticum ad eam audaciam processisse credemus, ut, ex horrido vitae umbratilis situ et squalore emersus, Pegasum ferocientem conscenderet, calcaribusque ei adhibitis „Pegaseo volatu“ ad astra efferretur? Num fieri potuisse credemus, ut homo criticus in Homerorum provinciam irreperet, carminibusque dissipatis et inter se alienis mirificum concentum inspiraret? De Aristarchi critici laude tantum abest ut detraham, ut insignia eius merita grate interpreter; sed eundem magni poëtae vices obiisse credat Iudaeus Apella, non ego.

§ 146. Ex iis, quae adhuc disputavi, iam satis, ni fallor, liquebit, quid potissimum Wolfio offecerit, quominus quaestionem homericam profligaret et ad exitum perduceret. Etenim omnes ceterae virtutes, quibus probus criticus eget, abunde ei suppetebant, cum acri ingenio, mira sagacitate, exquisita eruditione, denique severissima religiosissimaque in scientia pervestiganda fide et sanctimonia praeter ceteros floreret; sed una tamen res, et ea gravissima, ei deerat. Nam, quod Cicero de Antonio et Crasso oratoribus praedicat,[4])

1) „Das Mysterium der Harmonie und inneren Uebereinstimmung.“

2) Proleg. ad Hom. p. CCLXV.

3) Ibid. p. CCLXV: „Quid autem? si mirificum illum concentum revocatum in primis Aristarchi eleganti ingenio et doctrinae debemus.“ — Quid hoc loco „revocatum“ illud sibi velit, vix satis me adsecutum esse confiteor. — Ceterum subtilissime rem interpretanti mihi dicendum erat, Wolfium in praefatione palinodiam cecinisse, non in Prolegomenis, ut quae priore tempore edita sint. Addidi haec propter criticos minutiarum studiosos.

4) De orat. II, 29, 126.

neutri quicquam aut a natura denegatum aut a doctrina non delatum esse videri, id ne a Wolfio quidem abhorrere, sed ita tamen circumcidendum esse crediderim, ut insignibus et naturae et doctrinae dotibus eum ornatum fuisse, sed id ipsum ei defuisse confiteamur, sine quo, ut audaciore translatione utar, de conceptu, satu ortuque carminum homereorum iudicari nequeat. Artificiorum enim existimatores utique egent intellegenti in hoc genere iudicio vel sollertia quadam de propria artificiorum natura iudicandi: quod imprimis ad eos quadrat, qui in genere poëtico artem criticam factitant. Necesse est igitur tales criticos perspectum habere, quo fere modo poëtarum fetus animo concipiantur, concepti sensim et paulatim conformentur percipianturque: qua re non intellecta aut cogitatione comprehensa ad ipsum huiusmodi quaestionum nervum penetrari nequit. Ipse autem Wolfius probe nosse videtur, de his rebus iudicandi sollertiam a natura sibi prorsus esse denegatam, huiusque causae disceptationem a se non magis quam aquam a pumice postulari posse, quae causa est, cur ad ipsorum poëtarum intellegentiam confugiat, eosque precetur, ut omnia huius generis momenta accurate expendant, suamque de quaestione homerea sententiam ferant.[1]) Quod imprimis Goethio et Schillero dictum esse facile apparet.

§ 147. Antequam autem huius capitis finem facio, temperare mihi non possum, quin iterata cura singularem severitatem ac religiosam fidem pleniore ore collaudem, qua Wolfii studia homerica mirifice excellunt, quae quidem tanta est, ut critica ratio, quam Wolfius iniit, omnibus iis, qui in aliquo litterarum genere artem criticam factitant, exemplo esse non tam possit quam debeat. Tam certa est autem ista ratio adeoque non errori obnoxia, ut, dum in suo campo ille versatur, nunquam temere in inane vagetur, aut nubem pro Iunone amplectatur, sed semper rem acu tangat; tantumque abest, ut venditatione quadam ostentationeque vel vanae gloriolae cupiditate abreptus novam suam doctrinam foras protulerit, ut quaevis Prolegomenorum plagula ardentissimum veri videndi studium spiret. Huc accedit, quod studiorum suorum fructus adeo non festinanter aut praepropere conscribillavit ediditve, ut Horatii illud „Nonum prematur in annum" paene nimia anxietate amplexatus esse videatur; ipse enim confitetur[2]) per unum dimidiatumque decennium se doctrinam suam in pectoris latebras absconditam habuisse, ac ne cum amicis quidem quicquam de ea communicasse nisi paucula et rara; etiam in praelectionibus suis multos annos se imitatum esse interpretes doctrinae sacrae, qui edictorum metu territi non id doceant, quod sibimet ipsis placeat, sed quod ecclesiae olim ex tempore probandum praescriptum sit; neque publice quicquam de dubitationibus istis se prodidisse. Indidem autem apparet Wolfium non modo rigida rationis suae severitate nimiaque contra se calumnia, sed etiam singulari quadam dilectissimi poëtae, de cuius auctoritate impia sua doctrina detractum iri arbitrabatur, veneratione et verecundia impulsum Prolegomenorum editionem iterum ac saepius procrastinasse.

[1]) Praef. II. p. XX: „Optavi etiam ultro, et cupio vehementer, ut sollicite expendantur omnia momenta istius generis, idque ab iis arbitris, qui, quo pacto fiat magnum poema, proprio usu et facultate intellegunt, quos quidem nemo reiciat tanquam minus idoneos aut parum rigidos."

[2]) Proleg. ad Homer. p. CXIII. adn. 84.

§ 148. Quae religiosa pietas utinam nullo unquam tempore in hominum animis exstincta esset! In Wolfio autem, eruditorum hominum illius aetatis facile principe, tanta fuit, ut venerandissimum vatem vel leviter laedere verecundaretur, ut tenacissima pervicacia carminum homereorum unitati adhaeresceret, ut diu reluctatus invitusque hanc unitatem impugnaret, ut denique verus sui calumniator, quem Plinius dicit, ipse sibi vehementer succenseret, quod fidem vulgarem destruere auderet.[1]) Insigne autem pietatis et modestiae exemplum a clarissimo superioris saeculi critico editum recentiores criticos deterrere debebat, quominus in poëtam insontem tanta crudelitate saevirent, eiusque carmina, quae antiquitus in summo honore erant ac paene sacrosancta habebantur, dilacerarent sescentasque in particulas discerperent: de qua peste vati suo imminente ipse Wolfius ne somniavit quidem. Cui si ab inferis excitato sescentos obelos Iliadis et Odysseae margini appictos, infinitam versuum locorumque homericorum multitudinem in exsilium eiectam, denique ipsum poëtam furibundae recentiorum criticorum rabiei vix obluctantem ac paene emorientem conspicari liceret, indignabundus, credo, atque illud „Quos ego!" — iterum ac saepius eandem rem repeto — vociferatus eos in malam crucem abire iuberet, vel etiam, omnibus iis, quae contra carminum homereorum unitatem attulisset, retractatis palinodiam caneret.

[1]) Liceat mihi praeclarum locum totidem verbis transscribere. Praef. II. p. XXI. XXII: „Quotiens abducto ab historicis argumentis animo redeo ad continentem Homeri lectionem et interpretationem, mihique impero, illarum omnium rationum oblivisci, quantum potest, et cum veteribus Grammaticis nonnullas ῥήσεις postremarum rhapsodiarum ut interpolatas legere, et alia pro indubiis sumere plura, quae nos ad pristinam legendi consuetudinem reducant, atque ita penitus immergor in illum veluti prono et liquido alveo decurrentem tenorem actionum et narrationum; quotiens animadverto ac reputo mecum, quam in universum aestimanti unus his carminibus insit color, aut certe quam egregie carmini utrique suus color constet, quam apte ubique tempora rebus, res temporibus, aliquot loci adeo sibi alludentes congruant et constent, quam denique aequabiliter in primariis personis eadem lineamenta serventur et ingeniorum et animorum: vix mihi quisquam irasci et succensere gravius poterit, quam ipse facio mihi, simulque veteribus illis, qui tot obiter iactis indiciis destruunt vulgarem fidem ac suam ipsorum; soleoque interdum castigare sedulitatem et audaciam meam, quae timido alioquin et antiqua libenter retinenti, nec sine religione monumenta vetusta tractanti, hanc extorquet voluptatem, ut pro Homereis habeam omnia, atque Homeri unius artem admirer in his, quae apud eum hodie legimus."

CAPUT SEXTUM.

De Godofredi Hermanni studiis homericis.

§ 149. Sequitur, ut Godofredi Hermanni mentionem faciam, qui in quaestionis homericae campo duo velut stadia decucurrisse dici potest: prius, cum, Wolfio sine exceptione adstipulatus, eius sententiam observationibus quibusdam a se factis confirmare et fulcire studeret; alterum, cum, palinodiam sibi canendam esse ratus, curae Wolfianae praeconio non uno loco circumciso, novam sententiam de suo proferre conaretur.

Et, ut a priore studiorum hermannianorum aetate ordiar — quo maxime ea pertinent, quae in libro, qui „de emendanda ratione graecae grammaticae" inscribitur, in hymnorum homericorum editione, denique in Orphicis de his rebus scripsit —, incredibile dictu est quam minutulis spinosisque, ne dicam ineptis argumentis ad wolfianam doctrinam fulciendam vir eruditissimus usus sit. Quid? quod, misellis minutiis fretus, totas Homeri rhapsodias in suspicionem vocare audet, velut septimum Iliadis et octavum Odysseae librum, in quorum utroque litterulae ι in dativo casu contractio inveniatur, quae ab antiquissima ea aetate, cui maior Iliadis pars tribui debeat, abhorreat;[1]) praeterea in Odysseae rhapsodia θ vocabulum μορφή occurrere eamque recentiori aetati deberi esse argumento.[2]) Itaque purum putum iota subscriptum et una sola vocula, quae in altero utro carminum homereorum non occurrit, Hermanno sufficiunt ad totos libros Homero abrogandos.

§ 150. Quae eadem ratio critica apud Hermannum non semel deprehenditur: maiora videlicet poëmata angustissimo modulo metitur, et propter minutissimas res, quin propter rariorem quorundam vocabulorum usum aut quasdam eorum partes aut tota ea condemnat subditiciaque aut recentioris originis esse suspicatur; cuius rei insigne exemplum praebet Rhesus tragoedia, quam Euripidi Mnesarchidae abiudicatam ad Alexandrinorum aetatem detrudit, cuius sententiae fulciendae causa ad singulas minutulasque res ex medio rerum contextu decerptas confugit in iisque inhaerescit: velut doctrinae ostentationem Alexandrinorum propriam odoratur in v. 528 e. q. s. (ed. Nauck), ubi aquilae et Pleiadum mentio fit: „scriptor," inquit, „suam signorum caelestium notitiam ostentat"; in v. 943 et 966, ubi „orphicae doctrinae mentionem faciat"; in v. 921 e. q. s., ubi „docte de origine Rhesi, intexto Thamyrae cum Musis certamine, disserat"; denique in v. 408 e. q. s., ubi „bella fingantur, quibus Hector Rheso imperium Thraciae paraverit".[1]) Ergo ex pauculis nugis, et iis pervagatis et ex trivio arreptis, Hermannus crimen ostentatae doctrinae repetere audet! Qualibus argumentationibus quid Hermannus peccet, manifestum est: non in universum arguit, Rhesum fabulam Alexandrinorum vitia, nimiam frigidamque artem et inanem verborum strepitum ac pompam, sapere, sed in meris nugis et quisquiliis paene totus est, quae ad ipsum quaestionis nervum vix pertinent. Neque melius comparata sunt cetera argumenta, quibus alexandrinam Rhesi originem convincere studet. Maxime vero lectores minutiarum silva opprimuntur ac paene enecantur in ea dissertationis parte, ubi Hermannus sescenta ἅπαξ λεγόμενα aliasque raras et abstrusas voculas conquirit et congerit, quibus fabulam grammatico adsiduae lectioni insudanti deberi efficere studet.[2]) Quanquam quid opus est plura? Hermanno eandem cantilenam canere cogor, quam Lachmanno aliisque criticis cecini, magna poëmata non ex minutiis hinc atque illinc decerptis, sed ex perpetuitate atque constantia spectanda omnemque rationem criticam, quae huic legi refragetur, utique esse reiciendam.

§ 151. Omissis iis, quae Hermannus in hymnorum editione[3]) de rhapsodorum industria disseruit, quos Homerum simiarum ritu imitatos esse eiusdemque carmina interpolasse et dilatasse docet, quaeque idem ille auctore Wolfio[4]) de „diasceuastarum" opera commentatus est, statim transeo ad ea, quae Hermannus in Orphicorum editione[5]) disputat, ubi castris wolfianis suppetias venire studet, et, ut adsolet, argumentatio eius in sescentas minutias digreditur. Etenim id agit, ut arguat, carmina, ex quibus Ilias et Odyssea conflatae sint, nec eodem auctore nec eodem tempore nata esse, immo neutri epopoeiae partes deesse, quae rhapsodis aut Homeridis sint attribuendae; qua in quaestione non neglegendos esse ait numeros, inter quos — velut inter numeros XIII et XXIII libri Iliadis — mirum quantum intersit: quae quidem differentia vel teretes ipsorum Graecorum aures fefellit. Sed quo tandem modo id demonstrare studet vir eruditissimus? An illustribus argumentis convincit, propriam numerorum notam ac formam in utroque carmine esse diversam, id quod alicuius saltem esset momenti? Quod si quis exspectaret, vehementer falleretur; immo metricae illae differentiae cerni dicuntur in longarum syllabarum correptionibus accentus potissimum vi effectis, in brevium syllabarum aut in mediis vocabulis aut, quod summi momenti esse ait, in caesura productionibus, denique in hiatu, quem

[1]) H 453: ἥρῳ Λαομέδοντι πολίσσαμεν ἀθλήσαντε. θ 483: ἥρῳ Λαοδόκῳ ὁ δ'ἐδέξατο, χαῖρε δὲ θυμῷ. Ipsius Hermanni verba haec sunt (de emend. rat. gr. gr. p. 38): „Non enim ista contractio antiquissimae illius aetatis est, cui maxima pars Iliadis adsignari debet." Atticam apocopen statuendo ἥρω scripsit Moeris, cui obloquitur Etymologus his verbis: κλίσις, καὶ οὐκ ἀποκοπή. Cf. utriusque locum ab Hermanno ibidem allatum.

[2]) De emend. rat. gr. gramm. p. 38. 39: „Odysseam, atque ipsum quidem octavum librum etiam μορφή υ. 170, quod in XI. quoque υ. 366 est, recentiorem esse arguit. Id vocubulum nusquam in Iliade occurrit; composita autem ex eo in neutro carmine."

[1]) Dissert. de Rheso: Opuscul. Vol. III. p. 288 e. q. s. Cf. Vater, vindic. Rhesi tragoediae in edit. p. XCVI.

[2]) Dissert. de Rheso trag. Opusc. Vol. III. p. 290 e. q. s. Cf. Gruppe, Ariadne p. 316 e. q. s. Vater, vind. Rhes. p. CVIII e. q. s.

[3]) Homeri hymni et epigrammata. Ed. Godofr. Hermann. Lipsiae 1806. Weidmann. Epistula editoris p. VII e. q. s.

[4]) Prolegom. p. CLI.

[5]) Orphica cum notis H. Stephani, A. Chr. Eschenbachii, I. M. Gesneri, Th. Thyrwittii. Recens. Godofr. Hermann. Lipsiae 1805. Hahns Verlag p. 687 e. q. s.

posteriore aetate aliquanto rarius admissum esse edocemur, quam priore aetate homerica; aliis tamen licentiis posteriores abstinuisse docet. Quid? Nonne Hermannum auribus captasse credamus, quae Iuppiter cum Iunone clam confabulatur? Eruditis scilicet auribus tenuissima numerorum discrimina aucupatus est, quorum ne Graecorum quidem sagacitati quicquam unquam suboluit. Quae unde comperta habeat, quaerere nolo; at illud tamen certo scio, multo minutiora ea esse et leviora, quam ut inde discerni queat, quid carminum homericorum adulterinum, quid germanum sit. Nam quisquiliis istis ne tum quidem quicquam tribuerem, si de carminibus litteris consignatis quaereretur, cum nemo poëta — in talibus praesertim minutiis — semper sibi constet; immo, quemadmodum ipse mutatur, ita paene insciens et dictionis et versuum formam habitumque identidem variet; id quod eo minus mirum videtur, quod poëtae non sunt automata, quae eodem semper ritu moventur. At ex talibus minutiis coniecturas facere de auctore aut aetate carminum homericorum, ut quae ad ultimam antiquitatem revocandae sint, qua non modo non doctrina metrica exculta erat, sed ne communis usus quidem invaluerat — ea vero (pace Manium Hermanni dixerim) mera dementia est.

§ 152. Iis igitur curis, quas adhuc commemoravi, Hermannus nihil aliud effecerat nisi nonnullas Iliadis et Odysseae partes Homeridis rhapsodisque deberi, et cum ipsa Homeri progenie[1]) multos insitivos imitatorum amplificatorum, diasceuastarum interpolatorum fetus esse mixtos. Multo longius idem progressus est — iam ad alterum studiorum hermannianorum stadium accedo, cuius supra mentionem feci — posteriore tempore, cum duabus dissertationibus annis 1831 et 1832 editis, quas infra[2]) significavi, wolfianae doctrinae laude paululum imminuta, novam de carminibus homericis sententiam de suo proferret.

Largitur autem Hermannus,[3]) ut hinc ordiar, ad defendendam Wolfii doctrinam, qua carmina homerica nec totum quiddam effecisse nec ad id destinata fuisse, sectaeque poëtarum inter se conspirantium eidemque disciplinae addictorum, non uni auctori originem debere statuantur, gravissima argumenta posse adferri. Ac primum quidem incredibile esse ait, tum, cum carmina recitando, non per scripturam propagarentur, quenquam animum induxisse tam ampla carmina componere, cum, nullo talia desiderante, eiusmodi inceptum supervacaneum fuerit et inutile; huc accedere discrepantias, quae inter aliquot horum carminum locos intercedant, et interruptae seriei vestigia, nec deesse indicia interpolationum, quas ad narrationis

1) Audaciore hac translatione utenti mihi Ovidii illud ante oculos obversatum est (Trist. III, 14, 14): Palladis exemplo de me sine matre creata | Carmina sunt. Stirps haec progeniesque mea est.

2) a) „Ueber die Behandlung der griechischen Dichter bei den Engländern nebst Bemerkungen über Homer und die Fragmente der Sappho“ in Annalibus vindobonensibus (1831. LIV vol.). Quae commentatio iterum typis descripta est in Opusculorum volumine VI. p. 70 e. q. s. — b) De interpolationibus Homeri dissertatio. Lipsiae 1832 (Opuscul. Vol. V. p. 53—77).

3) Opuscul. Vol. VI. p. 81 e. q. s.

tenorem restituendum et discrepantias inter se exaequandas factas esse appareat; denique partes quasdam non solum colore, dictione versuumque structura manifesto inter se differre, sed etiam alias aliam mentem spirare. His autem argumentis, quae non ita facilia refutatu esse Hermannus confitetur, tria alia obstare ait si non firmiora, at tamen non minus firma, quibus contraria sententia fulciatur: materiae epicae in brevissimum gyrum coartationem, epicae poësis post Homerum interitum, denique magnam poësis homericae per totam Graeciam auctoritatem. Quae argumenta deinceps persequar.

§ 153. Atque de parco rerum troianarum delectu Hermannus sic fere argumentatur.[1]) Quodsi secta Homeridarum exstiterit, qui, magistri exemplum atque certam quandam disciplinam secuti, et carmina magistri recitarent et ipsi carmina conficerent: eam quidem artem in magna poësis homericae simplicitate, in eximia dialecti epicae habilitate et „tractabilitate“ — sit venia voci vitruvianae! —, in ingenti copia formularum loquendi et epithetorum ad versus explendos aptorum, denique in versus heroici structura ad magnam numerorum varietatem efficiendam idonea minime fuisse difficilem, atque Homeridas rhapsodosque eadem fere facilitate ex tempore versus fudisse, qua hodie homines itali fundere consueverint, qui simili utantur condicione; quae facilitas quo maior sit, eo minus explicari posse, cur omnes isti poëtae in Achillis ira et Ulixis reditu adquieverint; immo necessario statuendum esse, eos cum alias belli troiani partes tum urbis excidium cecinisse, et aut Iliadem in latiorem ambitum amplificatam esse, aut praeter Iliadem et Odysseam tertiam epopoeiam exstitisse, quae ex illis ceteris carminibus conflata sit; at omnium horum vestigium deprehendi nullum, adeoque nullam talium carminum mentionem fieri, ut ne rumusculus quidem de iis exstiterit.

§ 154. Quae argumentatio nullo negotio potest refelli. Neque enim quicquam impedit, quominus statuamus Homeridas pro suo „ingeniolo“ sescenta qualiacumque poëmatia „Palladis exemplo sine matre“ creasse. At in fatis erat, ut ea ipsa carmina, utpote quae a discipulis, non ab ipso magistro confecta essent, quae omni Iliadis et Odysseae et unitate et granditate prorsus carerent, non ad posteritatem pervenirent. Et quo tandem miraculo factum esse credamus, ut propagarentur? An nesciit Hermannus, quod tota antiquitas clamat, tempus fuisse, cum in eo esset, ut omnia illa carmina antiquiora, cum litteris non essent mandata, saeculorum haustu absorberentur, ac necessario futurum fuisse, ut, in particulas dissoluta, evanescerent, nisi Solon et Pisistratus ea ab interitu servassent? At ex communi carminum epicorum naufragio nihil illi servaverunt nisi optima quaeque, id est carmina Homeri, ex quibus Ilias et Odyssea constat; Homeridarum autem carmina, si qua supererant, ab interitu vindicare ne animos induxerunt quidem, cum posteritati ea prodere, si modo poterant, vix operae pretium esse iis videretur. Vereor autem, ut potuerint; nam ista Homeridarum poëmatia, quae Homeri

1) Opuscul. Vol. VI. p. 82. 83.

epopoeiis et praestantia et artificio longe cesserunt, adeo non per omnium ora ferebantur aut per omnes Graeciae regiones pervaserant, ut saeculorum aestui multo etiam minus resisterent quam Ilias et Odyssea, et multo ante Solonis et Pisistrati aetatem funditus interirent. Hinc igitur explicatur, cur carminum istorum vestigia adeo evanuerint, ut nobis paene nulla sint. Nullo autem pacto argumentum contra wolfianam poëtarum sectam inde repeti potest.

§ 155. Accedo ad alterum locum, quem Hermannus contra eandem sectam attulit.[1])

Si secta illa exstitisset, necessario fieri posse ait, ut argueretur, quando et cur tam subito esse desierit; post Iliadem et Odysseam autem iam nihil ex ea in lucem prodiisse, denique poësim epicam aliquanto post demum poëtarum cyclicorum opera esse renatam; neminem autem harum rerum quicquam arguisse, cyclicosque poëtas, etiamsi Homerum imitandum sibi sumpserint, tam acriter tamen ab eo distingui, ut ionicam illam disciplinam, quae sub Homeri et Homeridarum nomine comprehendatur, propagasse credi nequeant.

Quam quaestionem iam supra profligasse mihi videor. Etenim poësis homerica non repente, ut ait Hermannus, sed sensim et paulatim florere desiit, cum procedente tempore homericae rhapsodorum recitationes aliis aliorum poëtarum et artificum acroamatis magis magisque cedere deberent adeoque coartarentur, ut periculum esset, ne epopoeiae homericae, cum iam non totae, sed particulatim recitarentur, prorsus dissolverentur et interirent. Quae omnia tam manifesta sunt, ut Hermannus nodum, ut aiunt, in scirpo quaerere mihi videatur: Homeridarum secta aliquamdiu floruit; cum nova poësis aliarumque artium genera efflorescerent, paulatim exstincta est; poëtae cyclici, qui aliquanto post exstiterunt, cum illis nullam contagionem habuisse putandi sunt nisi hanc, ut, Homerum imitati, argumenta epica ab eo neglecta tractarent et „cyclum" epicum supplerent. Quibus omnibus nihil subest, unde concludere liceat, wolfianam Homeridarum sectam omnino non exstitisse.

§ 156. Reliquum est, ut de tertio argumento dicamus, quod Hermannus sectae illi wolfianae opposuit, de magna carminum homericorum apud omnes Graecos auctoritate.[2])

Atque Homerum a Graecis simpliciter „poëtam" appellari ait Hermannus; eundem omnium poëtarum antiquissimum vulgo haberi et Hesiodo aetate antecellere a plerisque putari; dicta eius historiae fidem habere, tantamque iis tribui auctoritatem, ut ad urbium civitatumque controversias dirimendas adhibeantur; cum ultima antiquitate ei contagionem intercedere ipsos quoque cyclicos testari, ut qui carminum suorum materiem ex significationibus ab Homero passim obscure iactis elicuerint eruerintque, atque fabularum semina, ad quae ille, ut dici solet, digitum intendisset, uberius tractando et explicando ipsum Homerum quodammodo interpretati sint; id quod explicari non possit nisi ex incredibili eius auctoritate. Quod autem universa Graecia uno ore eum tantis laudibus praedicaverit, eundemque omnis poësis epicae exemplar habuerit, hoc quidem ita comparatum esse, ut ad pristinam illam de uno unicoque Homero opinionem revocare nos possit, qui nihil nisi Achillis iram et Ulixis reditum tractandum sibi sumpserit; quanquam argumenta supra allata huic sententiae ita refragentur, ut ea sublata velimus; ex subtilibus tamen disquisitionibus a Nitzschio institutis aliquid speculae degustari posse fore ut tandem aliquando perplexa haec quaestio ad probabilitatem quandam perducatur.

1) Opuscul. Vol. VI. p. 83. 84.
2) Opusc. Vol. VI. p. 84. 85.

§ 157. Sed longum est dissertationes hermannianas, quas supra attuli, ad obrussam exigere; ergo satis habebo repugnantiarum quarundam mentionem facere, quae in nova illa doctrina ab Hermanno proposita deprehenduntur.

Ac primo statim obtutu neminem fugere potest, virum eruditissimum inter geminam condicionem, quam sibi proposuerit, incertum fluctuare: utrum unus poëta longum poëma composuerit, an plures poëtae minora carmina amplificaverint collegerintque. Homerus, ait,[1]) si primus habendus sit, qui longum poëma composuerit, carmina eius, si sua (Hermanni) de eorum origine sententia vera sit, tum primum a quibusdam eorum collectoribus in haec duo corpora coniuncta fuerint oportere, cum paulo post exstiterit hoc exemplo excitata recentiorum epicorum multitudo; denique vero, si nullus fuerit, qui iure dici possit primus longum poëma fecisse, ne hoc quidem ratione carere, cum ex parvis et intra pauca versuum milia stantibus carminibus paulatim ad maiorem ambitum progredi poëtarum conatus potuerint. Ecce incredibilis iudicis critici haesitatio, qua quid potissimum sibi velit in medio relinquit, lectoribusque quasi potestatem optionemque facit, utri sententiae adstipulari malint; etenim fieri posse ait, ut Homerus longi poëmatis auctor habeatur; sed statim haec retractat, cum addat, nihil obstare, quominus de minoribus carminibus a pluribus poëtis amplificatis cogitemus.

§ 158. Iam si paucis comprehendimus, quid Hermanno de origine carminum homericorum, qualia hodie a nobis leguntur, visum sit, quam miram ac paene portentosam eius sententiam esse dicamus, cum videlicet divina Musae homereae progenies Hermanno iudice nihil aliud sit quam singulare monstrum, in cuius corpus multi multorum parentum fetus coaluerint! Docet enim vir eruditissimus[2]) in nostris carminibus homericis tria partium genera inter se diversissima manifesto posse distingui, cum ex antehomericis, homericis, posthomericis mixta sint; quae tria genera copulatrici interpolatorum sedulitate in unum confusa sint, ita scilicet, ut et laxiora aut nimis hiantia artioribus iuncturis conglutinarentur, et minora quaedam additamenta in utriusque epopoeiae compagem includerentur.

Atque antehomerica Hermannus ea intellegit, quae poëtas, qui sub Homeri nomine comprehendantur, ex antiquis carminibus transumpsisse et sua fecisse appareat; homerica autem singula carmina ipsa esse ait, quae, quanquam ceteroqui mire inter se concinant, tamen alia aliam mentem spirent, et in singulis rebus tantopere inter

1) Opusc. Vol. V. p. 76.
2) Ueber Homer und Sappho: Opusc. Vol. VI. p. 79. 80.

se discrepent, ut vel ei, qui omnia ea uni eidemque poëtae attribuere velit, illud saltem concedendum sit, variis animi adfectibus variisque aetatibus ea originem debere; posthomerica denique, id est posterioribus poëtis debita, ea intellegit, quae aut manifestam Homeri imitationem prae se ferant, aut membra contineant, quae ad alia carmina inter se copulanda et conectenda confecta esse arguere liceat.

§ 159. Quam carminum colluvionem tandem retractatam et, supervacaneis aut non necessariis circumcisis, ad minorem ambitum redactam esse docet Hermannus, ita quidem, ut iis, quae communia essent diversis carminibus, semel quantum fieri potuisset positis, cetera sic insererentur, ut aliqua tamen cum probabilitate unum quiddam ac totum efficerent.[1]) Quae si recte intellexi, Hermannus hoc vult: correctores illos supervacaneas singulorum locorum iterationes aut rerum iam descriptarum expositiones litura sustulisse. Dii approbent! Habemus Hermanno iudice — ut singula colligam — in nostra Iliade et Odyssea antehomerica, homerica, posthomerica mira farragine inter se mixta; habemus carminum homericorum amplificatores, qui lineamenta ab Homero praescripta persecuti suaeque ipsorum gloriolae adeo non memores fuisse dicuntur, ut posteris vel nomina sua inviderent; habemus denique carminum incompositorum ordinatores eosdemque correctores, qui nimiam copiam ad modum quendam redegisse, abundantia desecuisse, iterata sustulisse perhibentur. Ergo Hermanno iudice carmina homerea ex diversissimis conflata sunt, ingensque „cooperatorum" cohors magnis saeculorum et aetatum intervallis ad ea procreanda vires coniunxit. Et nihilo tamen setius carmina tot genitoribus debita et ex variis membris confusa admirabili unitate excellere edocemur ab Hermanno: una eademque mens, inquit,[2]) per eorum universitatem spirat; unus sonus est totorum carminum et idem stilus; idem sententiarum, dictionis numerorumque est color, nec uspiam a se desciscit!!!

CAPUT SEPTIMUM.

Caroli Lachmanni doctrina ex poesis epicae primordiis et incrementis, ex universali carminum homericorum indole, ex admirabili eorundem „unitate", ex universae antiquitatis testimonio, ex cyclo epico, ex rebus pisistrateis, denique ex Odyssea refellitur.

§ 160. Cum omnis ars tum ipsa poësis Aristotele teste in naturae imitatione (μίμησις) versatur. Poëtarum autem ars imitatrix duplex est: poëta aut res gestas personasque narrando imitatur — sive ipse narrat, sive modo ipse narrat, modo alias personas loquentes introducit —; aut personas inducit sua sponte agentes. Illud est genus **narrativum,** alterum hoc genus **dramaticum.** Ex genere narrativo est epopoeia, ex genere dramatico tragoedia, comoedia, drama satyricum; Homerus autem Aristotele teste in tertio quodam genere ex narrativo et dramatico conflato versatus est.[1]) Quemadmodum autem omnia hominum studia a minoribus ad maiora progrediuntur atque, initio in exiguum gyrum coartata, paulatim demum latius patescunt: ita necesse est utrumque illud genus poëticum, ab exiguis initiis seminibusque profectum, quasi pedetemptim et gradatim ad maiorem perfectionem pervenisse.

§ 161. Atque artificiosa illa dramata, quae posteriore tempore artifices scenici ad actus scenarum composuerunt, inde originem traxerunt, quod antiquissimo tempore Dionysiis unus choreutarum de mensa anclabri choro respondere vel parva colloquia cum eo serere consueverat: quas scenas, si rudimenta ista scenica tali nomine appellare fas est, Thespis ita dilatavit et amplificavit, ut histrionem induceret, qui larvis adhibitis plures personas suscipere et cum choro sermones vel dialogos instituere poterat. Quae minutulae scenae pro seminibus et tanquam igniculis ipsorum dramatum habendae sunt.

§ 162. Quemadmodum autem praeclara illa artificia scenica, quo in numero tragoediae sophocleae maxime excellunt, ex parvis igniculis enata sunt: ita ne epopoeiae quidem homericae, quae haud minus illustres ingenii humani fetus habendae sunt, scintillulis suis carent, ex quibus, gliscentes initio, sensim et paulatim emicuerunt, donec mirifico exsplenduerunt fulgore.

Quae vero sunt scintillulae istae vel semina epopoeiarum homericarum?

Dixi omnia humana ita demum ad magnitudinem pervenire posse, ut, a minoribus ad maiora provecta, sensim et paulatim augescant. Quod idem maxime cadit in carmina epica: magnae epopoeiae exsistere non possunt, nisi minorum poëmatum epicorum perpetuitatibus[2]) quibusdam antegressis, quibus ingenium humanum, quid in hoc artis genere possit, quasi experiatur temptetque; quo demum tanquam tirocinio deposito fieri potest, ut poëta eximio ingenio praeditus, ab initiis illis ad maiora progressus, magnas epopoeias componat, quae perfecta poësis epicae exemplaria existimari possunt. Ut autem poëta epicus vere magnus magnam rerum gestarum multitudinem et velut molem ita comprehendit, ut perpetuitas quaedam inter eas intercedat: ita minutulus poëta, qui minora carmina conficit, in singulis rebus gestis facinoribusque enarrandis adquiescit, quae, omnino nullo vinculo inter se conexa aptaque, omni perpetuitate prorsus ca-

[1]) De interpolationibus Homeri: Opusc. Vol. V. p. 68.

[2]) Ueber Homer und Sappho (Opusc. Vol. VI. p. 78): „Ein Geist weht durch das Ganze; ein Ton klingt überall durch; ein Bild von Gedanken, Sprache, Rhythmus steht unveränderlich fest.

[1]) Arist. poet. c. 3. init: ἔτι δὲ τούτων τρίτη διαφορὰ τὸ ὡς ἕκαστα τούτων μιμήσαιτο ἄν τις καὶ γὰρ ἐν τοῖς αὐτοῖς καὶ τὰ αὐτὰ μιμεῖσθαι ἔστιν ὁτὲ μὲν ἀπαγγέλλοντα ἢ ἕτερόν τι γιγνόμενον, ὥσπερ Ὅμηρος ποιεῖ, ἢ ὡς τὸν αὐτὸν καὶ μὴ μεταβάλλοντα, ἢ πάντας ὡς πράττοντας καὶ ἐνεργοῦντας τοὺς μιμουμένους. De his conlata velim, quae in „Disquisitionibus Sophocleis" (§ 252) disputavi.

[2]) Perpetuitates minorum poëmatum germanice dixerim „ganze Reihen, Schichten oder Gruppen von kleinen Liedern". Contra paulo infra perpetuitas ita dicitur, ut sit „der innere Zusammenhang oder Connex."

rent. Ex quo minutulorum poëtarum genere commemoro Demodocum, qui pusilla poëmatia, velut de equo ligneo, de Marte et Venere aliaque similia, recitasse fertur.

§ 163. Sed qui tandem sunt minutuli isti poëtae, Homeri tanquam „prodromi“? In promptu est intellegendos esse vates illos peregrinantes, quos aoedorum nomine appellatos esse inter omnes constat. Quos aoedos, quasi tirocinio epico defunctos, Homero similiter viam munivisse commode dixeris atque logographos cum ceteris rerum gestarum scriptoribus tum Herodoto, vel rudes istos carminum pastoralium cantores siculos Theocrito.

Et ut in utrorumque comparatione parumper subsistam, permultum interest inter Herodotum, praeclarum historiae conscribendae artificem, atque logographos, rudes istos in rebus gestis enarrandis tirones, utpote quorum industria, cum Herodotus rerum universitatem ac paene totum orbem terrarum, quem quidem Graeci id aetatis nossent, una comprehensione complecteretur, initio saltem contractissimis cancellis esset circumscripta. Etenim permulti logographi — eaque ipsa in re rerum gestarum historiae initia vel rudimenta cernuntur — suorum oppidorum annales vel, si mavis, rerum patriarum commentarios conscripsisse feruntur, velut Cadmo Milesio Mileti conditae enarratio (κτίσις Μιλήτου), Charoni Lampsaceno annales Lampsaci tribuuntur: cui generi horographorum — nam hoc nomine angustiore notione logographi appellantur — nescio an plerique eorum ascribendi sint, quorum mera nomina ad posterorum memoriam propagavit Dionysius Halicarnassensis: Diochus Proconnesius, Eudemius Parius, Eugeon Samius,[1]) Democles Phligalius, Amelesagoras Chalcedonius. Quos horographos secutus est Herodotus, qui a singulorum oppidorum annalibus ingentem progressum fecit ad universalem, quae dicitur, historiam. Nec minorem progressum fecit Theocritus, cum pro inconditis opilionum siculorum cantiunculis idyllia ad artem revocata substitueret.

Quibus omnibus efficitur, Homeros, Herodotos, Theocritos non subito vel temporis puncto exsistere posse, sed naturali quadam ac paene necessaria gradatione ab aoedis ad Homerum, a logographis ad Herodotum, a rudibus carminum pastoralium cantoribus ad Theocritum transitum fieri.

§ 164. Quid vero Lachmannus? Praeclarus criticus videlicet sibi persuasit aliisque persuadere studet, Iliadem[2]) ex separatis carminibus, quae duodeviginti fuisse computando invenit, posteriore demum tempore esse consutam. Dii approbent! Habemus Lachmanno iudice epopoeiam, et eam splendidissimam omniumque epopoeiarum facile principem, quae centunculi instar a posteris criticis ex dispersis nescio particulis dicam an panniculis aegre conglutinata est. Lachmannus igitur, quae incredibilis eius ignorantia fuit, nihil eorum perspexit, quae supra de necessario a minoribus ad maiora progressu docui, qui ut in ceteris rebus humanis ita in omnibus artium litterarumque generibus, ne epopoeia quidem excepta, dominatur, quo quidem progressu epica Graecorum poësis, singulas aoedorum aetates — nam aoedorum poësim ipsam quoque plura stadia percucurrisse consentaneum est — gradatim emensa, ad eum perfectionis gradum pervenit, quo maiora carmina epica artificiosius componi coepta sunt. Ne multa — Lachmanni et Lachmannianorum memoriae haec iterum ac saepius inculcanda esse arbitror —: duae potissimum epicae poësis aetates internosci debent: altera tirocinii, qua minora carmina sine ulla compositionis epicae arte pangebantur, altera maioris perfectionis, qua ex lege quadam et norma latioris ambitus epopoeiae componebantur, quarum epopoeiarum optimae et perfectissimae propter ipsam, qua excellunt, praestantiam ad posteritatem propagatae sunt.

§ 165. Lachmannus igitur, propter quem omnia haec fusius disputavi, gradationem illam, cui epicam Graecorum poësim, priusquam ad carminum homericorum perfectionem provehi posset, ex naturae legibus obnoxiam fuisse necesse est, adeo non intellexit, ut Homerum nihil nisi breviora carmina, et ea separata nec ullo vinculo inter se cohaerentia,[1]) pangentem faceret, seu, quod eodem redit, perfectissimum ac paene divinum poëtam cum aoedis, quippe rudibus et imperitis tironibus, in unam eandemque capulam coniceret. Ergo, si Lachmanni doctrina vera esset, Homerus — incredibile dictu — ultra aoedorum tirocinium omnino non egressus, in primis, ut ita dicam, artis epicae elementis haesisset; esset minutulus poëta, non artis epicae princeps et antistes. Homero autem a summo principatu ad tironis gradum detruso iam tota Graecorum poësis epica tanquam summo gradu vel cacumine privatur; primam aoedorum aetatem nunquam superavit; in primo statim cursus stadio interrupta est et collapsa: Graecia aoedorum quidem gregem protulit, non divinum vatem,

---

[1]) Calami lapsu in Εὐγείτων corrupit Suidas s. v. Αἴσωπος.

[2]) Id est septendecim priores Iliadis libros; nam ceterorum librorum heptas a Lachmanno prorsus repudiatur, qua in re miratur praeclarus vir, Wolfio sex dumtaxat, non omnes septem offensioni fuisse. Libros XVIII—XXII autem deteriores esse ait, quam ut Homero ascribi possint. Ipsissima eius verba haec sunt (Betrachtungen über Homers Ilias p. 80): „Wenn nur nicht alle folgenden Bücher, gegen die Patroklie gehalten, geschweige gegen die noch edleren Theile der Ilias, sich so ärmlich und kühl ausnähmen, dass ich das Urtheil von Wolf (Proleg. p. CXXXVII) nicht recht begreife, der nur bei den letzten sechs Büchern, also nicht auch, scheint es, beim achtzehnten, sich anders gestimmt fühlte. Mir scheinen die fünf Bücher von Σ bis X so aus einem Stück zu sein, so übereinstimmend in den Begebenheiten nicht nur, sondern auch in allen Manieren, in dem gänzlichen Verschwinden aller griechischen Heroen ausser Achilles, in der Masse von Erscheinungen und Wirkungen der Götter, in den vielen Mythen, in der Dürftigkeit der Bilder und Gleichnisse, dass sie eben so sehr einen einzigen Dichter verrathen, als sie für fast alle der früheren, die deswegen nicht um Jahrhunderte älter zu sein brauchen, dass ich es nur grade heraus sage, zu schlecht sind!“ Quas gerras nugatorias, quae omnibus argumentis carent, vix operae pretium est refellere.

[1]) Singulorum poëmatiorum praestantia, quam Lachmannus (Betrachtungen p. 86: „weit herrlichere einzelne Lieder,“ scil. als die ganze Ilias) tantis laudibus praedicat, non ita comparata est, ut ea progressionis instar esse dici possit, qua poëta ingeniosissimus ab aoedorum cantiunculis ad prorsus novam poësis epicae aetatem processisse perhiberi queat. Nam progressus in hoc genere fieri nequit nisi a singulis carminibus ad magnarum epopoeiarum compositionem, de qua Lachmannus, ut harum rerum imperitus erat, ne somniavit quidem: scilicet lectoribus suis et auditoribus fucum facit, cum omni pignore contendat, a singulis poëmatis ad singula poëmata progressionem effici posse ipsa poematum, etiamsi separatorum, praestantia.

qui, singulis minutulisque carminibus aoedorum ritu confici desitis, ad maiora et artificiosiora poëmata edenda processisse, denique veras epopoeias composuisse dici potest.

§ 166. Sed alia etiam indicia carminibus homericis inhaerent et quasi impressa sunt, unde certissime concludere licet, ea minime ex singulis nec ullo vinculo inter se conexis cantiunculis potuisse conflari: dico imprimis admirabilem ac paene divinam nescio vim percipiendi dicam an ingenii capacitatem, qua, ultra vulgaris scientiae et intellegentiae angustias longe progressus, rerum universitatem una comprehensione complectitur. Ne multa: Homeri eruditio pro ista aetate tanta est, ut omnium poëtarum paene doctissimum eum dixerim, quippe qui omnes, quae tum erant, res non solum diligenter investigaverit et perscrutatus sit, sed etiam res undique congestas accurate in memoria coacervaverit: quidquid heroicae aetatis homines de rebus divinis et humanis, de rebus caelestibus, terrestribus infernisque, de civitate et republica administranda, de mundo et orbe terrarum, de terrarum et regionum situ, de populorum moribus, de animi humani natura et vi, deque sescentis aliis rebus cognitum compertumque habebant, id Homerus in memoria sua tanquam in omnium rerum thesauro reposuit, unde depromptam doctrinam suam poëmatis ita intexuit, ut perspicuam illarum rerum imaginem nobis exhibeant.[1])

§ 167. Homerum igitur variis eruditionibus ornatum et, ut posterioris latinitatis vocabulo utar, multiscium fuisse rerumque cognitionem et scientiam, quae ex carminibus eius elucet, latissime patere nemo erit, qui infitietur. Quid vero? Tam grandem poëtam, in cuius ingenio tanta est capacitas, ut rerum universitatem complectatur, in minutulis ac paene dixi pusillis poëmatis fabricandis versatum esse Lachmanno suasore credemus? Num adducemur, ut existimemus poëmatiorum dispersorum ac ne laxo quidem vinculo coagmentatorum fabricatorem rerum universitatem posse comprehendere? An putabimus ad universitatem exprimendam et sub aspectum subiciendam meras nescio particulas dicam an trunculos — nam cantiunculae istae lachmannianae nihil aliud sunt nisi trunculi ex ingenti poësis epicae thesauro delibati — sufficere posse, plenis solidisque artificiis non esse opus? Scilicet tantum abest, ut minutulus poëta rerum universitatem comprehendat, ut in poëmatio suo pertractando et conficiendo totus sit, nec meditatio eius, artissimis cantiunculae, quam quoque tempore tractat, cancellis circumscripta, ultra eius ambitum evagetur.

§ 168. Sed Lachmanno paululum largiti concedamus fieri potuisse, quod omnino fieri nequit, ut ex minutulis dispersisque poëmatis magnae epopoeiae conflarentur. — At quis, quaeso, conflavit? — Attici videlicet carminum homereorum conquisitores et iidem dispositores. — Dii approbent! Habemus Lachmanno praeceptore duas epopoeias, quae, quanquam ipse poëta ipsive poëtae de earum unitate ne somniaverunt quidem, tamen unius eiusdemque auctoris mentem

---

[1]) De Homero „divinarum et humanarum rerum omnium scientia" instructo cf. Fr. A. Wolf, Prolegom. ad Hom. p. CIX.

spirant, quae per multa saecula prorsus nullo communi vinculo inter se cohaeserunt, immo, quasi nulla necessitudo inter eas intercederet, disperse et particulatim decantatae sunt, quae denique — incredibilia narro — interiecta multarum aetatum intervallo a posteris criticis sic temere ac paene nullo negotio non solum in unum corpus, sed etiam ad admirabilem quandam unitatem redactae sunt, proinde quasi inde ab omni tempore inter se congruerint responderintque, et una forma sint percussae. At praefracte nego — semel atque iterum repetere cogor, quae supra,[1]) ubi de critica Pisistratidarum adiutorumque cum iis foederatorum industria disputabam, iam protuli — nego, inquam, talem congruentiam unitatemque poëmatis extrinsecus adferri alienaque manu iis impertiri posse et adlini; immovero nemini nisi ipsi poëtae unitas illa deberi potest; non ab aliis, si diis placet, postea inseritur, sed statim ab initio innascitur, vel potius ab ipso poëta carminibus ita ingignitur, ut miro modo ea patrissent, totumque patrem incredibili similitudine exscribant. Quae cum ita sint, credat Iudaeus Apella, non ego, epopoeias homereas, quod Lachmannus vult, primum ab uno pluribusve poëtis particulatim membratimve ac paene dixi corpusculatim in lucem edi, deinde vero a nescio quibus omnis Minervae hominibus in duo corpora epica, et ea ampla magnificaque, converti potuisse et transfigurari.[2])

§ 169. Sed fingamus factum esse, quod fieri non potuit, ut Pisistratus eiusque sodales carmina, quae usque ad id tempus omni unitate omnique communi vinculo caruissent, in compagem prorsus novam redigerent, qua inclusa iam magnorum corporum speciem praeberent, — quam eximiam omnium undique laudem eos collegisse, quanto omnium scriptorum consensu hanc praeclaram ac paene divinam eorum artem „transfiguratricem" ad caelum sublatam esse dicamus! At veteres scriptores statuis sunt taciturniores: nec Herodotus, nec Plato, nec Aristoteles, nec ceteri omnes de „metamorphosi" tam nova tamque inaudita quicquam sciunt.[3]) — Quid vero Lachmanniani? Scilicet aures sibi obturaverunt non modo ad communem totius antiquitatis vocem, quae „unitatem" clamitat, sed etiam ad pertinacem veterum Graecorum taciturnitatem, qua corpora epica tam portentosum in modum cooriri non potuisse testantur. Credo mehercules, si ipsa Graecorum natio Pisistrato aequalis, ab inferis excitata, criticos illos insimularet, quod contra universae Graeciae voluntatem auctoritatemque Homerum suo honore spoliassent, epopoeiasque, nobilissimas filias, quas duas ille procreasset, patri legitimo

---

[1]) § 21. Recte Friedländer, die homer. Kritik p. 13: „Wie die Herstellung eines verlorenen oder verdunkelten Zusammenhangs in den homerischen Gesängen durch Pisistratus leicht ausführbar und zweckmässig erscheint, ebenso völlig unwahrscheinlich (rectius dixisset: unmöglich) ist die Zusammensetzung einer neuen Iliade aus vorhandenen einzelnen Liedern."

[2]) Inter Homeri carmina statim ab initio unitatem quandam intercessisse, non a Pisistrato eiusque sociis demum illis insitam esse etiam Grote, eruditissimus ille Britannus, historiae graecae enarrator, graviter adseverat: history of Greece. Vol. II. London 1846.

[3]) Haec litteris iam consignaveram, cum animadverti idem argumentum a Bäumleino adlatum esse in commentatione de Homero eiusque carminibus editioni praemissa: p. XVI.

abiudicatas multorum patrum, eorumque aliquanto iuniorum, collegio addixissent, — credo mehercules eos universae Graeciae nec auctoritatem reverituros nec iudicium secuturos esse. Nunc autem natio illa reapse cum criticis illis expostulat non rediviva illa quidem, sed per litterarum monumenta nobis conservata. Quae quidem cum Homeri castigatoribus sic agit et quodam modo tacita loquitur: „Nulla aliquot iam decenniis Homero calumniatio exstitit nisi per vos; nulla iniuria eidem inlata sine vobis; vobis unis multorum versuum homereorum neces, vobis vexatio direptioque epopoeiarum homericarum impunita fuit ac libera; vos non solum ad corporum homereorum unitatem integritatemque evertendam delendamque, verum etiam ad insontis poëtae membra divellenda et laceranda valuistis. Superiora illa, quanquam ferenda non fuerunt, tamen vates, ut potuit, tulit; nunc vero eum totum esse in metu propter vos unos, quidquid increpuerit, criticos hyperboreos timeri, nullum videri contra Maeonium vatem consilium iniri posse, quod a vestro scelere abhorreat, non est ferendum. Quamobrem discedite, Homeromastiges, atque hunc nobis timorem eripite! — Haec tacita queritur universa Graecia. Quid autem critici hyperborei? Rident scilicet, fidentique animo obelos Homero appingere pergunt.

§ 170. Et quis est, ut hoc addam, cui, hac quaestiuncula semel proposita, non in mentem veniat poëtarum cyclicorum, quorum epopoeiae cum homereis ita in unum coaluisse feruntur, ut ex utrisque carminibus (homereis et cyclicis) magnus poësis epicae velut thesaurus conflaretur? Ex iis igitur, qui a Pisistrato eiusque sociis prorsus novum Homerum, qui nullus dum esset, in lucem esse prolatum sibi persuaserunt, quaesierim: cur tandem collegium pisistrateum, quod Graeciam novo poësis epicae thesauro donare sibi proposuerat, in Iliade et Odyssea adquievit? cur Cypria, Aethiopidem, Iliupersim, parvam Iliadem, et si qua alia cyclicorum carmina sunt, denuo fingere et corpore suo epico includere supersederunt? cur Homerum nescio novare an renovare dicam iis placuit, Stasinum, Arctinum ceterosque cyclicos non item? An, quod dictio poëtica, qua poëtae cyclici utebantur, ab homerea dictione magnopere discrepuit? At collegio pisistrateo ab ipsis illis criticis tam eximia adsimilandi ars attribuitur, ut, si necesse fuisset, vel dissimiliora et magis etiam inter se abhorrentia ad similitudinem quandam redigere et, ut aiunt, una eademque forma percutere potuisse censendum sit.[1])

Ergo, omnibus in utramque partem accurate consideratis, nihil aliud restare videtur, quam ut fateamur — Bäumleini[2]) verbis utor — „invenisse Pisistratum Iliadem et Odysseam, non fecisse, atque invenisse fere talem, qualem nunc habemus“.

§ 171. Quoniamque semel ad poëtas cyclicos provocavi, facere non possum, quin Lachmanno et Lachmannianis aliud argumentum indidem repetitum opponam.

Cyclum epicum igitur ingentem carminum epicorum complexionem,

[1]) Hanc eandem rem strictim tetigit Bäumlein in commentatione de Homero eiusque carminibus editioni praemissa p. XVI.

[2]) Ibid.

ne dicam molem fuisse constat, qua Arctini Aethiopis, eiusdem Iliupersis, Stasini Cypria, Leschae parva Ilias, eiusdem Iliupersis multaque alia carmina coërcebantur et continebantur, qua quidem complexione ne Iliadem et Odysseam quidem exclusas fuisse scimus. Ex ea ipsa autem re, quod cyclica illa carmina cum Iliade et Odyssea in unum et idem corpus epicum inclusa erant, concludere licet, ea pro epopoeiis sat amplis habenda esse; nam singula unius eiusdemque corporis membra magnitudine et ambitu vix magnopere inter se differre possunt, nec fieri potest, ut minutissima carmina cum magnis epopoeiis in unum confundantur, nisi vero quis mente alienatus id agit, ut monstruosam diversissimorum carminum farraginem conflet. Neque his conclusiunculis repugnant, quae de cyclicis poëmatis memoriae prodita sunt. Etenim, ut hoc utar, Arctini poëma, quod indidem initium capit, ubi Iliadis auctor narrandi finem facit, ex novem milibus et centum versibus constitisse traditur[1]); unde sequitur, poëma illud non totam quidem Odysseam, sed tamen quartam eius partem triplicatam ambitu fere aequasse. Ac ne Cypria quidem Leschaeque poëma, quod „parva Ilias“ inscribitur, brevi ambitu fuisse Aristoteles testari videtur, cum dicat: Iliadem et Odysseam singulis dumtaxat tragoediis materiem praebere, ex Cypriis contra multarum, ex parva Iliade octo tragoediarum argumenta posse desumi.[2])

§ 172. Quibus praemissis si, priorum saeculorum memoria refricata, tempora antepisistratea respicimus, ubi Lachmanno praeceptore carmina homerea exiguorum poëmatiorum forma induta necdum in maiora corpora redacta esse censenda sunt, — quam minutulas, quam pusillas, ne dicam ridiculas Homeri cantiunculas — frusta poëmatum plautino sale[3]) haud inepte dixeris — prae diffusis illis poëtarum cyclicorum operibus visas esse dicamus! Ne tum pulchellos nanos cerneres mediae gigantium cohorti immixtos et prae augustiore eorum specie habituque paene evanescentes — — —

Quid? quod tota nostra de cyclo epico existimatio a Lachmanno sursum deorsum versatur, quo tandem animo nobis ferendum putabimus? Scilicet mutua ratio, quae ipsi Welckero, poëtarum cyclicorum patrono ac vindici, aliisque viris doctis inter geminum illud sidus, Iliadem et Odysseam, ceteraque poëmata cyclica intercedere visa est, commentis lachmannianis prorsus pervertitur. Welckerus enim percommode Iliadem cum sole, Odysseam cum luna, poëtarum cyclicorum carmina cum minoribus sideribus comparat, quae circa solem illum contractioribus laxioribusve circulis volvuntur, nec tantum soli, sed etiam lunae fulgore longe cedunt.[4])

[1]) Testimonio est inscriptio tabulae, quae in „Museo Borgia“ adservatur, in qua est: * * * * Ἀρκτινο]ν τὸν Μιλήσιον λέγουσιν ἐπῶν ὄντα θρ. Cf. O. Müller, Gesch. der griech. Litt. I, p. 112. adn. 2.

[2]) Aristot. Poet. c. 23 extr. Cf. de hoc loco: J. Vahlen, „Beiträge zu Aristosteles' Poetik“ (aus den Sitzungsberichten der philos.-histor. Classe der kais. Akad. der Wiss. in Wien besonders abgedruckt). III, p. 279 e. q. s.

[3]) Plaut. Pers. V, 2, 27: Loquere tu etiam, frustum pueri?

[4]) F. G. Welcker, der epische Cyclus I, p. 329: „In ihrer ganzen Gewalt zeigt sich die Ilias in dieser Art des Einflusses. Sie ist wie ein Gestirn mit vielen

Lachmannus contra nonne Homeri epopoeias de principatu illo, quem usque ad id tempus nemodum iis abiudicare ausus erat, cum ignominia detrusit? Ecquid secum reputavit ille, quantum sua de carminibus illis doctrina de auctoritate dignitateque inde ab omni tempore iis attributa detraheretur, eademque sua culpa prae ceteris carminibus cyclicis paene ad nihilum redigi? Nonne eodem temporis puncto, quo epopoeias homericas in pusillorum poëmatum formulam redigit, splendidissimos illos Welckeri soles ex corporibus vere caelestibus in pusilla corpuscula convertit, quae ne digna quidem videntur, circa quae alia sidera cursus conficiant? Comprehendam brevi: Lachmanno praeceptore contra omnem universae antiquitatis auctoritatem carmina homerica et cyclica ita quasi partes inter se permutant, ut illa ad minorum siderum gradum detrudantur, haec ad maiorum evehantur. Poëtis cyclicis autem si divinum suum Homerum, quem imitandum sibi proposuerant, a criticis hyperboreis pristina dignitate prorsus spoliatum conspicari liceret, vix dubito, quin buccis inflatis Neptuni illud: Quos ego —! conclamando vehementer eos increparent, in eosque omnia sua fulmina iacerent.

§ 173. Sed ne hic quidem cum Lachmanno eiusque adsentatoribus litigare desinam; immovero homerica eorum doctrina plures etiam scrupulos excitat, qui ipsi quoque ad cyclum epicum pertinent.

Quodsi Ilias et Odyssea, ut docent illi, temporibus antepisistrateis omnino non in maiora corpora redacta erant, sed pusillorum poëmatum inter se segregatorum speciem praebebant, — quid, quaeso, poëtas cyclicos impulit, ut ad cyclum epicum conficiendum adgrederentur, utpote cuius ne initium quidem factum esset, cum ex Lachmanni doctrina nullaedum epopoeiae exstarent, ac ne epyllia quidem confici coepta essent, sed omnino nihil praesto esset nisi purae putae cantiunculae vel, ut dixi, frusta poëmatum? Qui, quaeso, fieri potuit, ut tales cantiunculae poëtas cyclicos ad magnas epopoeias componendas instigarent? An veri est simile, architectos pusillarum domuncularum vel etiam casularum aspectu ad magnificas amplasque aedes exstruendas inflammari posse stimularique? Etenim poëtis cyclicis, si quid sapio, ad cyclum epicum componendum tum demum nescio animus dicam an stimulus accessit, si unam pluresve maiores epopoeias iam perfectas ante oculos habebant, quae iis tanquam exemplaria essent, quorum insigni praestantia et magnificentia ad imitandum aemulandumque instigarentur, et ad quorum normam suam rationem dirigerent et accommodarent. Si igitur, universae antiquitatis auctoritatem secuti, statuerimus iam multo ante Pisistratum Iliadem et Odysseam in magna corpora redacta fuisse, quae poëtis

Trabanten, die seine eigene Herrlichkeit erhöhen; wie eine Sonne hält sie ihre Planeten in nahen und entfernteren Bahnen in ihrem eigenen Kreise gebannt, unter denen wegen der Nähe, worin sie uns sichtbar ist, die Odyssee gleich dem Mond unter kleineren Sternen leuchtet.“ Cf. G. Curtius, Andeutungen über den gegenwärtigen Stand der homerischen Frage, in der Zeitschr. für die österr. Gymn. V. Jahrg. 1854. p. 5: „Die sinnigen und tiefgelehrten Forschungen Welckers deckten zum ersten Mal die Bedeutung des nachhomerischen cyklischen Epos auf, das, um das homerische sich wie Planeten um die Sonne drehend, eben diese Sonne, nicht Sonnentheilchen, vorauszusetzen schien.“

cyclicis speciminis instar essent, omnes difficultates statim evanescent; nam vix quicquam verisimilius est quam poëtas cyclicos, splendidissimorum carminum admiratione ad imitandum aemulandumque excitatos, animos induxisse, ut, quod Homerus incohatum reliquisset, id persequerentur et ad finem perducerent, nec tantum, quidquid rerum Troianarum Iliadis et Odysseae auctor praetermisisset, de suo supplerent, sed etiam fabulas thebanas in epopoeiarum formam redactas cyclo epico adiungerent, ut denique carminum epicorum velut thesaurum conficerent, in quo, quidquid fabularum popularium Graeci in deliciis haberent, id repositum esset et coacervatum.[1]) Sic igitur cycli epici origo facillimos, opinor, explicatus habet; quae quomodo a pusillis poëmatis repeti possit, nec ego adsequor, et ipsi Lachmanniani viderint; viderint, inquam, si poterunt, quo tandem modo minutulae cantiunculae ad ingentem thesaurum epicum componendum ansam praebere potuerint.

§ 174. Sequitur, ut ea refellam, quae Lachmannus de origine Iliadis — Odysseam enim ab eo neglectam esse constat — Pisistratidarum industriae debita protulit.

Lachmannus igitur docet, ante Pisistratum Iliadem fuisse nullam, immo duodeviginti fere poëmatia Homero ascripta et inter se separata a rhapsodis recitari solita esse, quae Pisistratus sodalium quorundam opera litteris mandanda et in unum corpus redigenda curaverit; sicque Iliadem nostram natam esse, quae, cum divulgata esset, pro germano ipsius Homeri opere habita sit, eadem tamen ita comparata fuerit, ut nos recentiores subtiliore nostro iudicio singulas centonis coagmentati particulas internoscere ac facile nobis persuadere queamus, eas non ab uno eodemque poëta potuisse confici.[2])

Quae si vera sunt, quam ingens negotium Lachmannus Pisistratidis imposuit! Id videlicet ex Lachmanni doctrina sibi proposuerunt, ut pusilla poëmatia nullo vinculo inter se copulata in magnas epopoeias, et eas artificiosissimas, converterent. Quod ut perficeretur, utique necesse erat permulta aut immutari aut suppleri multorumque locorum ordinem inverti, denique poëmata illa paene tota transfigurari. Cui sententiae tantum non omnia repugnant. Nam tot tantisque mutationibus factis Pisistratus non solum usitatas perceptasque poësis homericae cognitiones prorsus sustulisset, sed etiam instituta per multa saecula inveterata abolevisset. Etenim, si Lachmannum sequimur, rhapsodi temporibus antepisistrateis singula poëmatia homerica recitare consueverant, unde fiebat, ut populus, qui recitationibus illis frequens intererat, narrationes epicas particulatim percipere adsuesceret, et carmina homerea animis informare non posset nisi

[1]) Hac ipsa de causa necesse est Homerum poëtas cyclicos, non hos illum antecessisse. Similiter Friedländer, die homerische Kritik p. 13: „Nun können aber Iliade und Odyssee eben so gut die ersten grossen Epen gewesen sein als die Aethiopis des Arktinus. An und für sich hat die eine Annahme nicht mehr Schwierigkeit als die andere: aber die Grösse des homerischen Namens sowohl als die untergeordnete Stellung des Arktinus in der griechischen Poesie macht jene bei weitem wahrscheinlicher als diese.“

[2]) Lachmann, Betrachtungen über Homers Ilias. p. 31. 33. 34. 76. Cf. Friedländer, die homerische Kritik von Wolf bis Grote p. 11.

minutula et separata. Quibus epylliis Graeci per multa iam saecula delectati erant, cum repente — incredibile narratu — Pisistratus exstitit, et omnibus stupentibus istas universae Graeciae deliciolas in ingentia epopoeiarum monstra convertit. Sed Lachmanno largiamur, quae sibi finxit; omnia haec facta sunto: tum vero universam Graeciam omnia sua fulmina iecisse credo in hominem sacrilegum, qui sic temere res novasset, Graecisque opiniones inveteratas ac saeculorum diuturnitate quasi sancitas nefarie eripuisset, — pauculis artis existimatoribus fortasse exceptis, qui, incredibilem illam poëmatia in magnas epopoeias convertendi sollertiam admirati, in Pisistrati impietate conixissent.

§ 175. Gravissima autem ira, si tyrannus atheniensis tam audacter res novasset, nescio an rhapsodi arsuri fuerint. Quid? Num fieri poterat, ut invisus ille, cum mediocrem minutulorum poëmatum complexionem memoriae inculcassent, et inde ab omni tempore recitare consuessent, repente contra ius et fas novum pensum iis imperaret, et monstra epopoeiarum ediscere eos cogeret? Atqui iis rhapsodis, qui aut ipsis Athenis aut intra Atticae fines habitabant, potentissimus dominus sane imperare poterat, ut novis suis decretis morigerarentur, iis rhapsodis, qui extra Atticorum fines domicilia habebant, non item; nam Pisistrati aetate civitas Atheniensium nondum tantas opes consecuta erat, ut inter Graeciae civitates principatum obtineret.[1]) Quoquo igitur modo rem versamus, fieri non potuit, ut Pisistratus Graecis pro parvulis poëmatis, si unquam fuerunt, magnas epopoeias obtruderet. Quae cum ita sint, Lachmanni doctrina ne hac quidem ex parte ullo modo defendi potest.

§ 176. Relinquitur, ut „atomisticam" rationem a Lachmanno Iliadi adhibitam ex Odyssea refutemus.

Quaesierit enim quispiam: cur Lachmannus in Iliade adquieverit, Odysseam itidem in separata carmina dissecare neglexerit. Cui quid respondere debeam, minime haesito. Omnes scilicet Odysseae partes (ne quattor prioribus quidem rhapsodiis exceptis) tam firmis ac paene adamantinis compedibus inter se colligatae sunt, ut totum quiddam efficiant, omnesque conatus singula carmina, et ea in se ipsis tota ac rotunda, inde eliciendi ad inritum recidere necesse sit.[2]) Quid quaeris? Tota actio ubivis adeo sibi constat, ut nullo loco interrumpi queat, nisi vero quis opus politissima arte perfectum mutilando vult corrumpere. Quae in universum dicta sunto; neque enim is sum, qui infitier, unum alterumve „embolium" vel „episodium", quod Graeci dicunt, inseri potuisse, quo priorem Νεκυίαν potissimum

---

[1]) Cf. Friedländer, die homerische Kritik von Wolf bis Grote p. 13.

[2]) Eandem sententiam profert G. F. Schoemannus in operis Nitzschiani, quod „Sagenpoesie der Griechen" inscribitur, censura (Jahns Jahrb. 1869. p. 129). „Die Odyssee", inquit, „als ein aus früher nicht zusammenhängenden Liedern componirtes Stückwerk zu betrachten halte ich für baaren Aberwitz, wenn gleich allerdings das gewiss ist, dass sie einzelne, zum Theil ziemlich umfangreiche Interpolationen erfahren hat, die denn aber auch mit Sicherheit als solche zu erkennen sind. Sie selbst aber ist die geniale Conception eines vorragenden Geistes, der in dieser Gattung weder ein Vorbild hatte, noch, so viel wir zu urtheilen im Stande sind, würdige Nachfolger fand". Cf. Bonitz, über den Ursprung der homerischen Gedichte adn. 93, qui plura de hac re attulit.

rettulerim, cum prorsus nihil sit, quod sciam, cur Ulixes ad Orcum descendat.[1]) Quae cum ita sint, Lachmannus anxie cavit, ne „atomisticam" suam industriam ad Odysseam conferret, cum probe sciret, in hac re oleum et operam perditum iri. Qua ipsa in re non mediocre argumentum ac velut telum inesse mihi videtur, quo ad totam rationem criticam Lachmanni uno quasi ictu profligandam uti licet; incredibile est enim Iliadem ab Homero pusillorum poëmatiorum exiguitate, Odysseam autem — eiusdem videlicet patris filiam — magnae epopoeiae granditate et amplitudine esse donatam.

Ne scierim, quid Lachmannus fecisset, si Odysseam in canticunculas dissecare iussus esset! Desperasset, credo, cum sano corpori scalpellum suum nusquam potuisset adhibere!

CAPUT OCTAVUM.

Quaeritur: quo iure Lachmannus doceat, poëmatis unitatem non a poëtis ingigni, sed fortuitam eam esse ipsique mytho deberi.

§ 177. Saepenumero magnopere miratus sum, eundem Lachmannum, qui Iliadem in minutula poëmata omnis inter se cohaerentiae expertia disciderit, sicque eorum compagem prorsus laxaverit dissolveritque, tamen rursus non modo ipsum his epopoeiarum frustis unitatem quandam vindicasse et „atomistae" epitheton sibi obtrusum non sine mordaci quadam ironia reiecisse,[2]) sed etiam patronos nanctum esse, qui Lachmannum poëmatiis suis cohaerentiam unitatemque abiudicasse indignabundi negarent. Quo in numero habendus est G. Curtius, qui pro certo adfirmat,[3]) neminem unquam ab animo impetrasse, ut carmina homerea iam antepisistrateis temporibus inter se cohaesisse infitiaretur, ipsumque Lachmannum in libello, qui „Betrachtungen über Homers Ilias" inscribitur, identidem lectorum aures animosque vellicare digitumque intendere ad mutuam singulorum carminum rationem, qua inter se excipiant et alia ad alia referantur.

§ 178. Idem Curtius eodem loco[4]) vehementer expostulat cum Friedländero, qui ne Lachmannum quidem retineri potuisse, quin

---

[1]) Haec iam litteris consignaveram, cum animadverti, eandem rem a Friedländero esse prolatam: die homerische Kritik von Wolf bis Grote p. 25.

[2]) Lachmann, Betrachtungen über Homers Ilias p. 54: „denn ich soll ja ein Atomist sein".

[3]) G. Curtius, Andeutungen über den gegenwärtigen Stand der homerischen Frage, in: Zeitschr. für die österr. Gymnasien. V. 1854. p. 90.

[4]) Ibid. p. 91.

inter singula carmina rationes intercedere statueret,[1] agnoscat quidem, sed idem tamen, Grotii castra secutus, cum Lachmanno litiget, quod carmina disperse separatimque confecta inter se cohaerere posse sumpserit,[2] et quaestionem proponat, quo tandem modo carmina, quorum singulae partes ab initio inter se abhorruerint, ullo vinculo conecti potuerint copularique.[3] Qua in causa Friedländero utique adsentiendum esse vix quisquam infitiabitur; nam, ut iterum ac saepius dixi, carminibus unitas ingigni non potest nisi ab ipsis poëtis, nec fieri potest, ut carmina separatim confecta et statim ab initio inter se alienissima postea demum ad concentum quendam consensumque revocentur. Ergo Lachmanni erat interpretari, quomodo effici potuerit, quod prope miraculi loco habendum est, ut poëmatia eius, quae a multis poëtis separatim confecta esse ipse perhibet, nihilo tamen setius ita cohaereant, ut inter se excipiant, et alia ad alia referantur.

Sed totam hanc quaestionem ipse Lachmannus magis etiam confudit perturbavitque, ut qui fabulam vel mythum huic rei implicuerit, atque id ipsum, quod poëtae divinitus mandatum est et imperatum, ut poëmatis unitas inspiretur, ad mythum transtulerit. Quod cum ad totam nostram disquisitionem pertineat, sententiam illam lachmannianam accuratius perscrutari non gravabor.

§ 179. Quam ad quaestionem ut viam mihi muniam, locum transcribere mihi liceat ex Curtii commentatione infra adlata, ubi est[4]:

„Noch deutlicher ergiebt sich Lachmanns wahre Meinung über diese allgemeine Frage aus dem, was Friedländer in seiner Schrift „die homerische Kritik von Wolf bis Grote“ (Berlin 1853) aus Lachmanns Briefen an Lehrs mittheilt. Dort (p. VIII) redet Lachmann mit Bestimmtheit von einer unwillkürlich entstandenen Einheit; solche Einheiten, heisst es, macht nicht der einzelne Poet, sondern die Sage. Dort bezeichnet L. diejenige Gattung von epischen Gedichten, welcher „die Lieder vom Zorn und Odysseus' Heimkehr“ angehören, als „Lieder verschiedener Dichter, die Fabel in einem Sinne auffassend, sich beziehend auf einander oder auf Lieder ähnlichen Inhalts.“

Ergo, si Lachmanni sententiam satis adsecutus sum, unitas illa cantiunculis inhaerens fortuito vel, quod fere eodem redit, puro puto casu nata est; tales unitates, inquit, non singulis poetis debentur, sed fabulae vel mytho; inter ipsas autem cantiunculas, ex quibus Ilias et Odyssea constant, quanquam pluribus poëtis originem debent,

---

1) Cf. Friedländer, die homerische Kritik von Wolf bis Grote. Berlin 1853. p. 34.

2) Ibid. p. 14. 15. 3) Ibid. p. 26.

4) Andeutungen über den gegenwärtigen Stand der homerischen Frage in: Zeitschr. für die österr. Gymn. 1854. p. 90. 91. Cur Lachmannus huius rei, quae ad ipsos totius causae nervos pertinet, in epistula quadam ad amicum data subsecivis operis, ut aiunt, mentionem fecerit, non in maiore suo de Iliade libello, equidem vix adsequor.

tamen mutua quaedam ratio intercedit et communitas, qua fit, ut tanquam totidem fabularum interpretes prorsus inter se consentiant, mythosque in unam eandemque sententiam accipiant.

§ 180. Quae meditanti mihi statim sescenti scrupuli et interrogatiunculae in mentem incidunt: qua ratione unitas, quam dicunt, poëtica, quam altissimae poëtarum meditationi deberi constat, fortuito vel casu (unwillkürlich) nasci potest? quis, quaeso, omnis Minervae homo effecit, aut quo miraculo factum est, ut inter fetus diversissimis patribus natos vel umbra similitudinis aut convenientiae intercederet? quo tandem modo mythus, qui ex rumusculis popularibus conflatur, carminibus unitatem inspirare potest, quasi, animulam rationis participem nanctus, legum poëticarum esset gnarus? et quis unquam cantiunculis, tanquam animales essent et ratione praeditae, munus interpretum attribuit, quorum esset mythos in unam alteramve partem accipere et interpretari? Nam vix alia sententia erui potest ex verbis lachmannianis: „Lieder verschiedener Dichter, die Fabel in einem Sinne auffassend“ — — —

Sed missis his aliisque id genus quaestiunculis statim totius rei cardinem adgressus quaestionem tractabo, quam fronti huius capitis inscripsi: quo iure Lachmannus adfirmet, poëmatis unitatem non a poëtis ingigni, sed fortuitam esse ipsique deberi mytho?

§ 181. Poëticam unitatem igitur fortuito vel casu nasci posse, quod Lachmannus vult, prorsus nego, nec cessabo eius sententiam gravissimis argumentis refellere.

Etenim complexio mythorum, quales antiquissimis temporibus, antequam fictrix poëtarum sollertia iis potita esset, per populi ora ferebantur, nihil aliud fuit, quam rudis indigestaque moles vel iners pondus, in quo multa futurorum poëmatum semina inclusa latebant, ita tamen, ut miram immaturorum fetuum farraginem, ne dicam colluviem efficerent, ac speciem paene dixi chaoticam praeberent. Quae mythica poëmatum semina haud inepte compares cum rudibus illis infectisque auri et argenti massis, quae sordibus et squalore obductae omnique forma et splendore carentes ex terrae gremio effodiuntur, ignisque experimento et fabrica utique egent, priusquam naturali suo nitore exsplendescunt. Quemadmodum autem hominum metallicorum est ignis experimento adhibito splendorem in iis velut latentem elicere et eas fictrici aurificum aliorumque fabrorum arti aptas reddere: ita poëtarum est incultis istis et impolitis fabularum massis tanquam obrussam adhibere, rudis saeculi squalorem iis detergere, denique eas ita transfigurare, ut dignae fiant et idoneae, quae splendido poësis ornatu vestiantur. Imprimis vero mythi ita fingendi sunt et conformandi, ut in artificii poëtici compagem se insinuent, nec ab unitate poëtica, in qua eximium poëmatis decus cernitur, abhorreant; qua in re poëtis pro suo arbitrio dominari licet: dummodo, religiosa quadam pietate ducti, ipsam mythi medullam integram intactamque relinquant, ceteroqui in eo tractando ex libidine versari, aliena, inconcinna vel etiam absona desecare, alia de suo addere, denique mythum ita transformare debent, ut salva unitate poëtica in poëmatis formam redigi possit, nec ulla eius particula totius operis convenien-

tiae consensuique et singularum partium aequalitati concinnitatique officiat.[1])

§ 182. Quam mythi tractationem conformationemque ipsi poëtae, inquam, praecipuo quodam iure sibi deposcere non tam possunt quam debent; necesse est enim eosdem cum omnino bonitatem tum „unitatem“ poëmatum suorum praestare. Atque ipsa haec ars unitatis poëticae effectrix nescio an gravissima industriae poëtarum pars habenda sit; nam aut omnia me fallunt, aut axiomatis instar est, quod „aestheticae“ doctores praecipiunt, veram poësim ab omni inconcinnitate inaequalitateque abhorrere, nec poëmata unitatis illius expertia aliud quicquam esse nisi monstra. Quidquid igitur ingenii sollertiae, consilii calliditatis poëtae suppetit et praesto est, id ad unitatem illam efficiendam adhibere debebit, neque quicquam prius habebit, quam ut omnia removeat tollatque, quae singularum partium conspirationi refragantur. Et munus tam lubricum, quod omnes ingeniosissimi poëtae vires exigit, fortuito casusque ludibrio aut nescio qua ipsius mythi opera administratum esse Lachmanno credemus? Sed ad hunc locum infra redibo; nunc de mythorum conformatione videamus, quam apud alios populos aliam fuisse apparebit.

§ 183. Cuivis igitur populo, qui quidem non in infimo cultus humanitatisque gradu haeserit, studium quoddam innatum est gentis suae primordia vel origines in mira convertendi et mysteriorum tanquam integumentis involvendi; cui studio originem debet historia fabularis, quae cum non sine aliqua arte inventrici nata sit, haud iniuria genus quoddam poesis appellari potest. Historia fabularis autem, prout ipsi populi maiore minoreve ingenii vi praediti sunt, ab aliis populis ad alios gradus evecta est. Etenim alii populi origines suas quodammodo exornare conati sunt, sed ita tamen, ut vix prima historiae popularis rudimenta agnoscas poeticum quiddam spirantia illa quidem, sed ornatu vere poetico, nedum versuum numerorumque vestitu prorsus carentia. Rursus alii populi in originibus suis inlustrandis satis audacter versati sunt; sed cum pro sobria sua, ne dicam ieiuna natura ab arte poetica prorsus abhorrerent, tantum afuit, ut origines suas epopoeiis popularibus celebrarent, ut in solutae orationis siccitate adquiescerent. Epopoeiis popularibus, inquam; nam, quod multis saeculis post gentem conditam docti poëtae exstiterunt, qui, damnum universo populo debitum compensaturi, cives suos epopoeiis ad artis normam conformatis donarent, id ab hoc quidem loco alienum est. Quo ex numero sunt Romani, quorum historia fabularis, quanquam versibus non est inclusa, tamen tantam poesis popularis similitudinem prae se fert, ut stolidi sit, Niebuhrii auctoritate spreta, cum ipsa rerum romanarum historia eam confundere.[2]) Paucis dumtaxat, iisque ingeniosissimis, populis, inter quos

[1]) Cf. Schneidewin, Prooem. ad Sophocl. edit. Cap. II. p. init.: „Hier (in der selbsteigenen poetischen Behandlung des Mythus) war jeder Dichter in seinem Rechte, wenn er lediglich ethische und poetische Rücksichten für die stoffliche Formgebung walten liess; genug, wenn er mit gläubigem Ernst den Kern des nationalen Mythus ehrte.“

[2]) Cf. Gruppe, Ariadne p. 638: „Hätte Schlegel diese Kenntniss besessen, so würde er weniger hartnäckig die niebuhrschen Ansichten bestritten haben; denn

eminent Graeci, divinitus concessum fuit, fabularum igniculis seminibusque alitis et auctis, fabularem suam historiam omni poesis vestitu inlustrare magnasque et epopoeias et tragoedias ex mythis suis elicere.

§ 184. Iam illud negari nequit, ne rudibus quidem et immaturis istis cantiunculis elegantiorum poëtarum lima nondum perpolitis unitatem quandam deesse potuisse, cum fabulae iis subiectae unius eiusdemque nationis universitati originem deberent, nec fieri queat, ut eiusdem matris fetus omnem inter se similitudinem exuant; sed nihilo tamen setius magnopere cavendum esse arbitror, ne, Lachmanni exemplum secuti, unitatem illam fortuitam esse, ipsique historiae fabulari vel mytho, non poëtis deberi perhibeamus. Fortuitam, inquit; quasi vero caeco casu poëtica unitas nasci possit! Sed ne illud quidem, quod altero loco posuit, ipso mytho eam effici, concedere licebit, nisi, rem subtilius interpretati, in mythi locum ipsos eius auctores substituerimus; nam mythus mera res est, quae tantum abest ut quicquam efficere possit, ut ipsa efficiatur. Lachmanno igitur sic fere dicendum erat: unitas illa, quae inter antiquissimas eiusdem populi et fabulas et cantiunculas intercedit, adeo non fortuita est, quod forsitan cuipiam primo obtutu videri possit, ut ipsis poëtis antiquissimis debeatur, qui, cum nomina eorum interierint, nobis paene nulli sunt, quos tamen olim fuisse ipsa illa unitas testimonio est[1]); quae quidem unitas inde explicatur, quod antiquissimi illi fabularum fictores vel poëtae — nam fabulae populares poësis nomine dignae sunt, priusquam versibus includuntur[2]) — ex eodem thesauro fabulari sua repetiverunt, quod eorundem morum, institutorum religionumque, omnino earundem cogitationum animis informatarum communitate inter se coniuncti fuerunt, quod denique festis quibusdam et sollemnibus diebus, ut Taciti[3]) verbis utar, liberum loquendi audiendique commercium inter eos intercessit, quo fieri potuit, ut mythorum diversitas si non prorsus tolleretur, at quodammodo tamen exaequaretur.

§ 185. Sed iam videamus, quae fere stadia Graecorum fabulae vel mythi inde ab ultima antiquitate usque ad poëtarum tragicorum tempora decurrerint.

Atque prima aetas est illorum poëtarum „anonymorum“, qui praeparatoria quadam industria id egerunt, ut mythos, deterso rudis saeculi squalore, posterioribus poëtis aliquatenus praeformarent, et ex inertium massarum deformitate ad aliquam certe formam ac figuram

es braucht gar nicht einmal gelehrter und kritischer Forschungen dazu, sondern jenen ältesten römischen Geschichten war es sogleich aus den Augen zu lesen, dass sie Volkspoesie und nach poetischen Gesetzen gebildet sind: Dichtung, aber nicht Geschichte.“

[1]) Tale quid Gruppio suboluit, cum diceret (Ariadne p. 644): „Endlich liegt ja in der Natur der Sache, dass nie ein Volk choro und unisono dichtet, sondern zuletzt sind doch immer nur Einzelne ihre Träger, welche aber bald mehr, bald weniger als solche hervortreten. Die Erfindung, war sie treffend, wird durch Einverleibung zum Ganzen belohnt; der Name des einzelnen Erfinders, wenn man ihn auch wüsste, thut nichts zur Sache.“

[2]) Gruppe, Ariadne p. 645: „Dies ist die eigentliche Sage, welche schon Poesie wird und ist, selbst ohne dass sie in die Hände der Sänger kommt.“

[3]) Tacit. Agric. 2, 3.

redigerent. Qua in re illi aoedorum „prodromi“ adquievisse censendi sunt; nam per se intellegitur initia illa artis epicae tam rudia fuisse et imperfecta, ut immaturos fetus eos appellaveris, quos graeca natio, cum primum parturivisset, non tam iusto partu quam abortu in lucem edidit.

§ 186. Altera aetas aoedorum est, qua ex confusa poëtarum „anonymorum“ turba et colluvione iam certi quidam poëtae, quanquam rari et singuli, emergunt, velut Phemius et Demodocus, quorum ille apud Ithacenses, hic apud Phaeaces artem suam factitasse fertur. Iam mythi versibus includi et minutula carmina decantari coepta sunt, velut vates ille Phaeax Achillis et Ulixis rixam atque Troiam equo ligneo expugnatam coram ipso Ulixe carminibus celebrat. Qui aoedorum conatus carminum homereorum prolusiones et tanquam tirocinii rudimenta fuisse existimandi sunt, quae Maeonii vatis „prodromi“ deponere debebant, priusquam ille ad magnas epopoeias componendas accedere posset; nam, ut alio loco[1]) iam dixi, quemadmodum in omnibus rebus humanis, ita in hoc genere a minoribus progressio fit ad maiora, neque unquam exstitisset Homerus, nisi aoedorum grex viam ei munivisset. Tam difficili autem partu, opinor, Graecia parturiens Homerum suum edidit, ut hanc aoedorum aetatem multa stadia decurrisse crediderim, antequam in lucem ille prodiret.

§ 187. Iam aoedorum aetatem excipit tertia aetas, qua ipse Homerus exstitit. At quid, quaeso, post tot aoedorum industriam ei faciendum restitit? Num, ut aiunt, spicas legit, quas illi post largam messem a se factam ei reliquerant? Num poëmatia, quae permulta saeculo progrediente illi panxerant, collegit et ita consuit, ut duo corpora epica inde nascerentur? Num, quasi nomen eius ex ὁμοῦ et ἄρειν conflatum esset, in isto conglutinandi negotio adeo adquievit, ut alienis inventis nihil de suo adderet, et purus putus carminum sutor[2]) et esset et haberetur? Quod cave credas. Immovero Homerus demum, quanquam aoedorum poëmata in usum suum convertit, tamen ad poësim epicam perficiendam id ipsum attulit, quo insignia opera tirunculorum rudimentis antecellunt.

Quibus igitur rebus inter ceteros eminet Homerus? Etenim primum ingenio, mente divina, ore magna sonaturo tantum valet, ut omnium princeps poëtae nomine unice dignus sit; deinde, divino instinctu summoque animi ardore abreptus, in rebus enarrandis et depingendis tantopere adsurgit tantumque impetum sumit, ut vel humillimis rebus dignitatem addat atque decorem; porro dictionis magnificentia et granditate, eleganti versuum numerorumque sono, praeclaris similibus et comparationibus mirifice exsplendescit; denique mira arte efficit, ut et fabulae per se asperae ac parum tractabiles et singulae actionis epicae partes apte inter se congruant ac totum quiddam efficiant, qua ipsa in re illa epopoeiarum homericarum „unitas“ cernitur.

§ 188. Sequitur quarta poësis epicae aetas, qua poëtae cyclici exstiterunt. Qui cum eximia carminum homericorum praestantia ad

---

[1]) § 161—165.

[2]) Praeiit hanc dictionem Sidonius Apollinaris (III, 13) sutores fabularum dicendo.

imitandum excitati essent, id egerunt spectaruntque, ut, quidquid argumentorum fabularium in Iliade et Odyssea nondum tractatum esset, id adderent supplerentque; sed cyclicas epopoeias homericis dignitate multo inferiores et fuisse et habitas esse inde colligere licet, quod, indicibus pauculisque reliquiis exceptis, funditus illae deletae sunt. Quam anxie autem poëtae cyclici Homero se applicuerint, ei rei testimonio est, ut hoc utar, cyclica carminum homereorum editio, in qua, si scholiastae veneto fidem habere licet, Ilias in hos versus desiit:

ὣς οἵγ' ἀμφίεπον τάφον Ἕκτορος, ἦλθε δ' Ἀμάζων,
Ἄρηος θυγάτηρ μεγαλήτορος ἀνδροφόνοιο.[1])

Qua vulgati textus mutatione satis inerti effectum est, ut Homeri Ilias et Arctini Aethiopis inter se conglutinarentur.

§ 189. Restat, ut quintae aetatis mentionem faciam, quae est poëtarum tragicorum. Qui cum tragoediis suis eadem argumenta mythica tanquam materiem subicerent, quae olim poëtae epici tractaverant, fabulisque conformandis extremam manum imponerent, opus a poëtis epicis incohatum continuasse et ita ad finem quendam perduxisse dici possunt, ut seriei poëmatum ex thesauro mythico ductorum quasi ultimum membrum adderent. Omnino poëtae epici et tragici idem fere sibi proposuerant spectabantque, ut mythos populares poësis ornatu vestirent, nisi quod illi in genere „narrativo“ versati sunt, hi argumenta mythica ad scenarum actus composuerunt; qua re concessa nihil obstat, quominus Gruppii[2]) auctoritatem secuti Sophoclem ultimum Homeridarum appellemus.

At vero studiis mythicis tragicorum atticorum, inter quos Euripides nescio an mythos novandi audacia maxime eminuerit, perpetuitas earum aetatum terminatur,[3]) intra quas argumenta fabularia universae gentis ingenio accommodari non sunt desita; quidquid enim posteriores poëtae et graeci et romani in hoc genere non sine magno acumine calliditateque variare vel novare conati sunt, id huc quidem non pertinet; nam nimis quaesitae argutiae Alexandrinorum Romanorumque, qui a veteribus illis Graecis non solum complurium saeculorum hiatu interclusi, verum etiam morum, institutorum omninoque omnium rerum et publicarum et privatarum novitate prorsus abalienati erant, a simplicissima illa fabularum interpretatione, qua Homerus Aeschylus Sophocles excellunt, mirifice abhorrent et manifesta posterioris aetatis indicia prae se ferunt.

---

[1]) Schol. venet. ad Iliad. Ω 804.

[2]) Ariadne p. 646: „Die dramatischen Dichter, welche mit den epischen dieselben Stoffe bearbeiteten und sie aus der Hand der letzteren übernahmen, gehören ganz wesentlich mit in die ununterbrochene volkspoetische Reihe, und wenn solche Sänger Homeriden heissen, so ist Sophocles der letzte Homeride; es hindert nicht, dass er für die Bühne gearbeitet.“

[3]) Nostrati sermone sic dixerim: „Mit den attischen Tragikern schliesst aber auch die nationale Entwicklung der hellenischen Mythen ab; denn die vielfachen Variationen und Wandlungen derselben, wie spätere griechische und römische Dichter sie — oft in sehr piquanter, ja raffinirter Weise — zu Tage gefördert haben, gehören nicht mehr in den Organismus der lebendigen nationalen Mythengestaltung.“

§ 190. Vidimus igitur, ut gravissima huius quaestionis capita paucis comprehendam, tantum afuisse, ut in mythorum graecorum conformatione caecus casus dominaretur,[1]) ut contra, tanquam divina quaedam providentia eorum fata rexisset, sensim atque gradatim incrementa caperent, eaque gradatio certa quadam lege ac norma astringeretur; etenim in fatis fuisse videmus, ut et aoedorum „prodromi“ et ipsi aoedi poëtis epicis mythos praeformarent, quos tamen dissimillimis formis percutere et graeci sanguinis communitate et loquendi audiendique commercio prohibiti sunt; ut rursus epici poëtae argumenta fabularia ad tragicorum usum praepararent, suoque ritu iis proluderent, quae postea, in scenarum formam redacta, per theatra resonarent. Nihil igitur fortuiti in his rebus deprehenditur, nihil, quod non fatali quadam necessitate statim ab initio destinatum esset et praestitutum. Ne longius: mythorum graecorum et origo et incrementa unam eandemque mentem spirant ex nationis graecae universitate delibatam illam, unde explicatur, cur ipsi mythi fictricibus poëtarum manibus minime restiterint, sed velut sponte in unius corporis compagem se insinuaverint. Ac ne rudis quidem saeculi vates ab universae nationis ingenio adeo abhorruerunt, ut mythis unitatem quandam imprimi prohiberent; quam unitatem — nam ad id, unde digressa est explicatio, revertamur — non fortuito aut casu natam esse, sed poëtarum consilio atque sollertiae deberi contra Lachmannum iterum ac saepius pro certo adfirmo.

CAPUT NONUM.

Lachmanni doctrinam a carminum homericorum natura generali universique populi graeci moribus et ingenio accommodata prorsus abhorrere demonstratur.[2])

§ 191. Carmina homerica haud inepte comparari possunt cum nostra Germanorum epopoeia, quae „der Nibelungen Not“ inscribitur, cui in minuta poëmata dissecandae Lachmannus non minorem operam navavit quam Iliadi homericae. Graecae epopoeiae autem cum germanica illud commune habent, quod, cum miro quodam modo ex medio populo exierint, universae gentis proprietatem prae se ferunt, manifestisque eius signis notata sunt: quod idem omnino in omnia

[1]) Cf. Fr. Chr. Petersen, de Musarum apud Graecos origine, numero nominibusque (Miscellanea Hafniensia. ed. Fr. Münter), p. 83: „Unde constat, meam non esse sententiam, casu et forte quadam natas fabulas nihil nisi lepidum quem verborum sententiarumque lusum spectare.

[2]) Germanice: Lachmanns Kleinliedertheorie, vom Standpunkte des universell-nationalen Charakters der homerischen Epen aus beleuchtet.

carmina „popularia“ cadit. Nemini vero nisi antiquissimis poëtis epicis, qui quasi in ipso gremio nationis, cui originem debent, nutriti sunt, divinitus concessum est in ipsum populi sui ingenium ita se insinuare vel immergi, ut cum universa natione quasi in unum coaluisse dici possint, suamque proprietatem adeo deponere vel potius cum populi proprietate eo usque confundere, ut, quasi suapte persona exuta, in ipsam nationem abiisse videantur. Posteriorum aetatum poëtis autem, qui non tam ipsa natura ad poësim exercendam destinati sunt, quam ad artem et praecepta eam revocant, ad „universalem“ illam antiquissimae poësis indolem vel paulo propius accedere interdictum est, cum in propria pelle quiescere et haerere, quam carminibus suis popularem quandam universitatem inspirare malint, qua singularis sua proprietas ne prorsus absorbeatur metuunt. Quo propius vero ad illam antiquissimarum epopoeiarum naturam accedere, quoque magis sua poëmata ad illarum similitudinem effingere iis contigerit, eo propius eorundem carmina ad perfectionem adducta esse dici debebunt.

§ 192. Sed qua potissimum in re cernitur singularis harum epopoeiarum proprietas, qua ab aliis non eiusdem generis carminibus differunt? Quid, quaeso, illud est, quod nostrati sermone „der universell-nationale Charakter des Volksepos“ appellatur? Rem strictim exponere conabor, praesertim cum ne novissimis quidem temporibus defuerint, qui de hoc loco parum liquere arbitrarentur.[1])

Quo luculentius autem appareat, quid velim, paucis praefabor de altera illa poësi, quae non universo populo debetur, sed ex propria ac singulari unius cuiusdam hominis arte ingenioque originem ducit.

Poëtam igitur, qui non ex universi populi, sed ex sua ipsius mente carmina fingit, usquequaque suam naturam, suam indolem, suum iudicium prae se ferre necesse est; quae ipse animo cogitat sentit versat, ea proloquitur; ne tum quidem, si res ab aliis vel ab universo populo gestas enarrat, sui suaeque naturae obliviscitur; immovero omnia nihilo secus depingit atque in eius animo expressa sunt, unde fit, ut hominum natura et vita in eius carminibus tanquam in speculis cernantur; idem omnia non solum suopte modulo metitur, sed etiam suo colore ita imbuit, ut omnes fetus ex eius ingenio nati propriam auctoris indolem spirent ac miro modo patrissent. Vix autem fieri potest, quin eiusmodi poësis, quae tantam patris similitudinem prae se fert, ut vix ovum ovo similius sit, iisdem angustiis circumscribatur, quibus ipse auctor inclusus est, quin non universae gentis, sed unius hominis mentem spiret, quin denique ab universali epopoeiarum popularium habitu et specie ingenti hiatu distet.

§ 193. Popularibus epopoeiis autem quam longe diversa vestigia sunt impressa! Etenim argumenta, quae iis subsunt, ex ipsis

[1]) Velut Georgius Curtius in commentatione, quae inscribitur: „Andeutungen über den gegenwärtigen Stand der homerischen Frage“ in: Zeitschrift für die österr. Gymnasien. V. Jahrg. 1854. p. 11: Dies Wort (sc. national) klingt von Anfang bis zu Ende durch (sc. in libro Nitzschiano, qui inscribitur „die Sagenpoesie der Griechen“), ohne dass uns irgendwo deutlich gesagt wird, was damit eigentlich gemeint ist.“

populi originibus sunt desumpta, in quibus enarrandis et inlustrandis totae versantur: quidquid heroica nationis aetas praeclarorum magnificorumque facinorum tulit, id epopoeiis illis intexitur; quidquid rerum patriarum et domesticarum universo populo cordi vel in deliciis est, id mira quadam consociatione et comprehensione in unum colligitur, collectum in corporibus illis epicis reponitur et custoditur, quae, ut iterum ac saepius dixi, ultimae antiquitatis monumentorum thesauri publice sanciti habendi sunt. Quid quaeris? Tota popularium epopoeiarum indoles generale quiddam redolet vel, si mavis, manifestis universitatis cuiusdam signis notata est. Neque id mirum; quaecumque enim ex universae gentis mente repetita sunt, ea ultra privatorum hominum angustias egredi universitatisque speciem prae se ferre necesse est; universi populi ingenium et indolem sapiunt; ex universae gentis mente tota eorum natura hausta est et delibata.

Auctorem autem divinorum illorum carminum quasi ab ipso populi genio procreatum et editum esse dixerim; nam, cum ex veterum opinione suus cuique homini genius insitus sit, quidni populo ingeniosissimo ipsi quoque gentilem quendam genium innatum esse statuamus? Atque idem ille genius dilectissimo vati, domesticae gloriae praeconi, peculiarem populi sui formam et indolem tam manifesto impressit, ut, cuias et cui nationi ascriptus ille sit et addictus, quasi in fronte eius inscriptum sit.

§ 194. Quemadmodum autem, quidquid privatorum hominum studio et industriae debetur, angustiis quibusdam, ut dixi, circumscriptum et coartatum est, ea scilicet de causa, quod nemo homo suam ipsius umbram transilire, id est cancellos, quibus ipsa natura eum circumsaepsit et inclusit, egredi potest: ita, quidquid universae nationis menti et ingenio accommodatum est, quippe quod quasi ex universitate fluxerit et emanaverit, granditatis cuiusdam et amplitudinis speciem prae se ferre debebit, id quod Nitzschius[1]) praeclare his verbis expressit: „Alle nationalen Grundlagen und Voraussetzungen geben grosse Organismen". Quod quam vere dixerit vir egregius, ei rei documento sunt splendidissima omnium temporum aedificia, quae totarum civitatum communitati coniunctionique originem debent. Quid? Aedes illae et sacrae et profanae, quae in Graecia, in Italia, in Germania aliisque eruditis civitatibus inde ab omni tempore usque ad nostram aetatem publice aedificatae sunt et exstructae, nonne omnes certis granditatis et magnificentiae signis notatae sunt? Propylaea, Parthenon, templum eleusinium, Pantheon, Colosseum, aedis illa cathedralis, quae a Petro apostolo nomen duxit, templum coloniense, quod ad perfectionem adductum nostra aetas mirabunda vidit — nonne mera haec aliaque similia nomina audientibus nobis statim grandium et amplorum aedificiorum imagines ante oculos obversantur?

§ 195. Neque solum architecturae, sed etiam picturae opera ad sententiam meam fulciendam adferre licet. Nam pictae illae tabulae, quas in pinacothecis nostris admiramur, quarum quidem argumenta ex rerum gestarum historia deprompta sunt, nonne grande

[1]) Greg. Wilh. Nitzsch, die Sagenpoesie der Griechen, kritisch dargestellt. Braunschweig, 1852. p. 186.

quiddam et amplum et magnificum spirant, quod spectatores admiratione non imbuere non potest? Quo in genere nescio an novissimis temporibus Lessingus ille omnium summum antistitem et principem se praestiterit, cuius tabulam, in qua Ioannes Huss in rogo astans depictus est, eximia sua amplitudine, ne dicam maiestate contemplantem me paene oppressisse confiteor. Atque ipsa haec megalographia, quam Vitruvius appellat,[1]) quae in historiae universitate granditateque versatur, luculentissimo documento est, quam vehementer artificia publicae vitae universitate insignita cum artificiis privatae vitae humilitate conspicuis discrepent, praesertim si grandior haec pictura cum minore ista comparatur, quae, ut plinianis[2]) verbis utar, humilia sequitur humilitatisque gloriam adfectat.[3])

§ 196. Sed dies me deficiat, si omnia argumenta enumerare velim, quibus edoceri possumus, quaecumque ex gentis universitate emanaverint et coorta sint, ea grandia, ampla, magnifica esse. Omitto igitur statuas illas marmoreas et aeneas insignium virorum memoriae dicatas, quibus nostra potissimum aetate civitatum munificentia, reipublicae studio ducta, publicos locos viasque ornat; omitto immensos illos aquarum ductus, quibus magnarum urbium incolis aqua publice in ipsas domos distribuitur; relinquo facticias istas silvas longe lateque diffusas, quae, infinitis sumptibus consitae, admirabili arte descriptae, hypaethris ambulationibus concisae, denique hortulis areisque floribus consitis tam amoene distinctae sunt, ut et locis urbes ambientibus et ipsis urbibus earumque civibus eximio sint decori; praetereo sescenta alia instituta publica, quae ipsa sua amplitudine et granditate non angustae privatorum hominum inopiae, sed unice effusae magnarum civitatum opulentiae et abundantiae se deberi testantur.

§ 197. Quorsus haec? Ut intellegatur, rectissime se habere, quod statim ab initio proposui, ex publicis magnarum civitatum studiis vel, quod eodem fere redit, ex universorum populorum communitate instituta insigni quadam magnificentia et granditate conspicua non exsistere non posse; contra, quidquid ex privatae vitae humilitate fluxerit, id minutum, pusillum, angustum esse debere. Sed, ut ad propositum revertar — de Lachmanno enim cum dicturus essem, ad uberiorem hanc explicationem delatus sum —, quid tandem de carminum homericorum origine docet Lachmannus? Videlicet praeclarus criticus omni pignore contendit, Iliadem et Odysseam, magnificentissimas graecae nationis epopoeias, primis initiis nihil aliud fuisse quam pusilla et minutula poëmata, quae a rhapsodis particulatim propagata sint, donec Pisistratus, pauculorum hominum opera adiutus, in splendidissima corpora ea redegerit. Ea ipsa igitur opera, quae ingeniosissimi populi universitas aurea Graeciae aetate recentibus intentisque viribus protulit, ad quorum argumenta suppeditanda tota aetas heroica omnibus nervis omnique robore conixa erat, ne vates, domesticae laudis interpres et praeco, materie carminum careret, quorum auctori ita demum via muniri potuerat, ut magna cohors

[1]) VII, 4 et 5.
[2]) Plin. nat. hist. XXXV, 37.
[3]) Nos dicimus: Genremalerei.

aoedorum, utpote qui futuri vatis tanquam prodromi essent, cantiunculis suis per nescio quot saecula diffusis illis Homeri epopoeiis quasi proluderet, — ea ipsa carmina, inquam, quorum „genesis" tam ingenti apparatu praeparatorio eguit, ad quae parienda universa natio per complura saecula summo dolore laboraverat et paene caelum ac terras miscuerat, Lachmanno praeceptore post tot tamque inaudita molimenta tandem, lepidissimarum cantiuncularum specie induta, in lucem prodierunt! Ecce Horatii illud: „Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus!"

§ 198. Quid igitur Lachmannus omnium eorum, quae supra exposui, perspexit intellexitque? Prorsus nihil, quantum equidem video. Eo enim iudice tantum afuit, ut Graeciae universitas progredientibus saeculis magnas epopoeias procrearet, ut contra omnem naturae legem, qua magnis civitatibus magna deberi iubentur, nihil nisi pusilla minutulaque carmina proferret. Ergo Lachmannus neque cogitatione comprehendit, quod adfirmavit et adseveravit Nitzschius, popularia carmina universi populi communitate niti, eademque omnibus legibus et condicionibus obnoxia esse, quibus artificiorum publice natorum procreatio astricta sit,[1]) neque alterum illud mente complexus est, quod idem Nitzschius probe perspexit, homines criticos in enodanda quaestione, quae de carminum homericorum aut interpolatione aut unitate flagret, temere frustraque adhuc esse versatos, eorundemque conatus praeproperos et temerarios esse inde apparere, quod critici illi carmina homerea ex populi universitate nata esse parum cognossent, cuius cognitionis si quis expers sit, poëmatum istorum originem ab eo omnino non posse percipi.[2]) Neque unus Lachmannus in hanc partem vehementer peccavit, sed „carminum minutulorum venatores",[3]) quos Nitzschius dicit, ad unum omnes idem deliquerunt; qui priusquam, temerario suo studio abiecto ad sanitatemque reversi, Homerum in frusta consecare desierint, eiusque carmina ex populi graeci universitate fluxisse secum reputaverint, minime sperare licebit fore ut quaestio homerica cum ulla probabilitate ab iis persolvatur.

§ 199. Lachmannus igitur — ut colligam, quae capitibus IV, V, VI de eius doctrina disputavi — permultos locos neglexit, qui

[1]) Nitzsch, die Sagenpoesie der Griechen p. 186: „Die Kleinliederjäger denken nicht daran, dass der nationale Stoff nationale Bedingungen für alle Kunstgestaltung mit sich bringe."

[2]) Nitzsch, ibid. p. 84: „Alle bisherigen Versuche, die Frage von der Einheit und Interpolation der beiden homerischen Gedichte zu lösen, müssen für voreilig erklärt werden, weil sie der Grundlage nationaler Auffassung ermangeln, welche allein ein genetisches Verständniss der uns überlieferten Gedichte hervorbringen kann." Cf. G. Curtius, Andeutungen über den gegenwärtigen Stand der homerischen Frage, in: Zeitschr. für die österreich. Gymnasien. V. 1854, p. 10 e. q. s. Ceterum me, ne cognita quidem Nitzschii sententia, utpote quam postea demum accuratius perquirere mihi contigerit, mea sponte ad hanc quaestionem tractandam accessisse, totamque explicationem, quam supra dedi, ita de meo fluxisse, ut id, quod Nitzschius in universum generaliterque significavit, ex ipsa re altius repetiverim, argumentisque et firmioribus et subtilioribus fulserim, vix est quod peritis explicem.

[3]) „Carminum minutulorum venatores" eadem metaphora dicere ausus sum, qua Cicero (de nat. deor. I, 30 init.) „speculatorem venatoremque naturae" dixit.

ad epopoeias homereas recte existimandas summi momenti sunt: neglexit necessariam progressionis legem, qua Graecorum natio a minutulis poëmatis pangendis ad magnas epopoeias componendas procedere non tam potuit quam debuit; neglexit altissimam eruditionem ac scientiam, qua Homerus rerum universitatem complectitur, a qua poëtilla, qui in angustissimo minutulorum poëmatiorum gyro versatur, prorsus abhorret; neglexit consensum universae antiquitatis, quae carminum homericorum „unitatem" clamat; neglexit poëtas cyclicos, qui minutulis poëmatis a Lachmanno Homero obtrusis ad magnas epopoeias componendas inflammari non potuerunt; neglexit naturalem illam legem, qua magnis epopoeiis unitas ingigni non potest nisi ab ipso poëta; neglexit denique generalem carminum homericorum naturam, quae, cum universi populi graeci moribus et ingenio accommodata sit, a pusillorum carminum exiguitate maximo opere abhorret. Lachmannus igitur — ut minus gravia eius peccata atque errores praeteream, quo verbi gratia incredibilis illa „petitio principii", qua existimatorum iudicia prae sua, quam iactat, intellegentia despicit,[1]) aliaque pertinent — Lachmannus, inquam, ipsos universae huius quaestionis nervos tam temere omisit, ut lectoribus paene risus moveatur apud eundem Lachmannum legentibus: „Wenn aber wir, mit einem hoffentlich nachgerade feineren (!) kritischen Gefühl, als wir es dem pisitratischen Zeitalter zutrauen, und aus Gründen, die, offen dargelegt, jeder mit eigenem Sinne prüfen mag, die einzelnen Stücke wieder herauserkennen und uns überzeugen, dass sie nicht alle von einem und demselben Dichter sein können, sollen wir da, aus blinder Ehrfurcht vor dem Alterthum, unser Gefühl und unsere Gründe Lügen strafen und einer nur auf Alter, aber auf keinen Beweis, gestützten Annahme zu Liebe eine erforschte und begründete Thatsache verwerfen? Es ist hier nichts Heiliges, keine Rechtgläubigkeit, die von der stolzen Höhe des sicheren Wissens herab grübelnden Frevel und Entweihung beklagen dürfte. Also Gründe wider Gründe! Aber kein Wehklagen und kein Anathema!"[2])

§ 200. Ergo Lachmannus ad eam arrogantiam procedit, ut Pisistratidarum de poësi homerica iudicium prae recentiorum criticorum iudicio cum fastidio contemnat. Quod perperam ab eo factum esse contendo. Quanquam enim Pisistratidae ab Homeri aetate aliquot saeculorum hiatu seclusi erant, tamen cum Homero Homeridisque quasi quaedam contagio iis intercessit, utpote qui maeonium vatem eiusque aequales non sanguine solum attingerent, sed etiam illius aetatis sucum incorruptumque sanguinem tanquam venis ita percepissent, ut in eorum medullis ac visceribus insedisset atque haereret. Etenim, cum carmina homerica in ludis publicis lectitarentur et explicarentur, et fundamentum institutionis puerorum in iis positum esset, Graeci illi poësim homeream cum lacte nutricis, ut aiunt, suxisse dici possunt; ac ne provectiore quidem aetate eorum lectione abstinebant, immo cibi loco ea habebant, quo eorum mentes

[1]) Betrachtungen über Homers Ilias p. 54.

[2]) Betrachtungen p. 33. 34.

et alerentur et delectarentur. Ne multa: Graecis illis cum homerica aetate artissima necessitudo atque contagio intercessit; iidem eandem non sanguine solum, sed etiam animo et indole et moribus proxime attigerunt; denique firmissimis naturae, consanguinitatis, eiusdem ingenii, communium religionum sacrorumque, eiusdem linguae nodis sescentisque aliis copulis cum ea colligati erant et cohaeserunt, cum nos tot saeculorum intervallo ab homericae aetatis contagione seiuncti simus, eiusque intellectu ingenti aetatum inter se diversissimarum distantia intercludamur. Quid? Nosne „posteriolos" sit venia verbo! — elegantissimum iudicium Graecorum illorum, qui Homerum suum in sucum et sanguinem converterant, Lachmanno suasore naso suspendere? At id quidem custodes Graecorum dii averruncent!

CAPUT DECIMUM.

Redarguitur „dichotomica" ratio eorum, qui Iliadem ex duobus minoribus corporibus epicis, ex Achilleïde et Iliade minore, conflatam esse censent.

§ 201. Inter eos, quorum sententiam hoc capite impugnare animum induxi, gravitate auctoritateque maxime eminet Georgius Grote, eruditissimus ille historiae graecae interpres, cuius sententiae album calculum adiecerunt Friedländer et Düntzer, quorum ille Grotii sententiam accuratius persequi conatus est.[1]

Atque Grote et Friedländer — nam de communi eorum sententia hoc loco maxime agitur —, cum Odysseae „unitatem" omnino non impugnari posse persuasissimum habeant, ne Iliadem quidem eadem unitate carere posse censent; cui unitati multas discrepantias aliaque obstacula refragari cum eos minime fallat, ex his angustiis emergi non posse sibi videntur nisi statuendo, initio quidem Iliadem ad certam quandam rationem descriptam fuisse et dispositam, sed rationem illam postea turbatam esse et in peius mutatam.

---

[1]) Cf. G. Grote, History of Greece. Vol. II. London 1846. (In sermonem germ. vertit Fischer: II. p. 166 e. q. s. Meissner: I. p. 527.) Friedländer, die homerische Kritik von Wolf bis Grote. Berlin 1853. H. Düntzer, das dritte bis siebente Buch der Ilias als selbstständiges Gedicht: Jahns Jahrbb. Suppl. 2. p. 389—414 (Hom. Abh. p. 234—272), ubi p. 395 haec: „Grote, der später als wir B—H ausgeschieden hat." G. Curtius, Andeutungen über den gegenwärtigen Stand der homer. Frage: Zeitschr. für die österr. Gymn. Jahrg. V. 1854. p. 90 e. q. s. Ribbeck, Prüfung neuerer Ansichten über die Ilias: Philol. VIII. p. 461—509. H. Bonitz, über den Ursprung der homer. Gedichte. Wien 1872. p. 64. adn. 87. — Neque minus „dichotomica" est sententia, quam protulit Bernhardy: cf. infra § 222. Grotio adversatur Bäumlein: Philol. XI. p. 405—430.

§ 202. Quae prior carminis „ichnographia" utrique viro circumscripta et treminata fuisse videtur ambitu Achilleïdis, quae rhapsodiis Α, Θ, Λ—Χ contineatur; rhapsodiae Ψ et Ω autem Grotio iudice meri panni ipsi carmini postea adsuti[1]) vel, ut ait Friedländer, eiusdem supplementa[2]) habendae sunt; neutri vero dubium est, quin rhapsodiae Β—Η a priore carminis descriptione prorsus abhorreant, cum earum interiectu narratio epica non tam promoveatur quam interpelletur, neque ulla cum ceteris rhapsodiis iis intercedat cohaerentia; iisdemque demum insertis factum esse statuunt, ut Achilleïs, quae initio fuerit, priore carminis descriptione dilatata, in Iliadem converteretur. Iisdem iudicibus nona rhapsodia accessio est posteriori curae debita.[3])

Iam si omnia haec paucis complector, utriusque viri sententia huc redit: rhapsodiae Β—Η et Κ, quibus inlustris pugnarum iliacarum descriptio continetur,[4]) partes sunt unius eiusdemque carminis, quod angustiore vocis notione „Iliadem" appellare licet; quae quidem „Ilias minor" cum Achilleïde ista, quoad eius fieri poterat, parum scite consuta est, cui rei testimonio sunt commissurae quaedam, quae Grote et Friedländer in altera et septima rhapsodia deprehendisse sibi videntur.

§ 203. Quibus praemissis iam „duovirorum" illorum sententiam examinemus, videamusque, quid de „dichotomica" ista ratione existimandum sit.

Atque tota haec quaestio ita comparata est, ut primo quidem obtutu quispiam sibi persuadere possit, epopoeiam nostram, quae Ilias inscribitur, non unum corpus esse, sed monstrum bipartito divisum, cuius una pars, Achilleïs, cum altera parte, Iliade minore, prorsus nihil commune habeat; sed paulo subtilius epopoeiarum homericarum compositionem scrutantibus nobis facile apparebit rem longe secus se habere, tantumque abesse, ut Iliadis „unitas" structura illa bipartita, quae Grotio et Friedländero visa est, ullo modo turbetur, ut Achilleïs ista et Ilias minor miro quodam concentu et conspiratione in unum corpus sponte coalescant.

§ 204. Supra[5]) dixi, omnem artem — sive plastica ea sit sive pictoria sive musica sive poëtica — in imitatione versari, poëtarum autem artem imitatricem in tria genera — narrativum, dramaticum mixtumque — dispertiendam esse, ipsumque Homerum Aristotele teste in tertio genere ex narrativo et dramatico conflato esse versatum. Cur autem Iliadis et Odysseae auctor in genere narrativo non adquieverit, sed cum genere dramatico illud miscuerit, id mihi quidem luce solis clarius videtur esse. Etenim mera narratio, qua omnes res deinceps ab ovo usque ad mala quasi digitis enumerantur, ingeniosis poëtis, nedum Homero, omnium poëtarum ingeniosissimo, tam indigna est, ut tanquam scopulum eam fugiant. Nam quid, quaeso, facilius est quam infinitam rerum copiam sine ulla varietate

---

[1]) Germanice: „Anhängsel am Schweife des ursprünglichen Gedichts".
[2]) Friedländer l. l. p. 28: „Fortsetzungen des ursprünglichen Gedichts".
[3]) Friedländer ibid. p. 29.
[4]) Ibid. p. 63. [5]) § 160.

unoque spiritu decantare? Quo in genere cum ceteri poëtae Alexandrini tum Apollonius Rhodius eminet, qui in poëmate epico, quod Argonautica inscribitur, nihil antiquius habet, quam ut Argonautarum indicem propaginum ordine dispositum praemittat, deinde autem ipsam expeditionem ab ovo enarret.

Quantopere vero ab istis poëtillis differre dicamus Homerum, qui auditores in medias res rapit, ipsam autem narrationem epicam mirifice variat et distinguit cum aliis artificiis tum narrativi et dramatici generis vicissitudine, qua diffusae narrationi a callido poëta identidem scenae vere dramaticae immiscentur, quibus res sic exponuntur, quasi agantur, non narrentur!

§ 205. Quemadmodum autem actionis epicae explicatio apud Homerum in duplici genere — et narrativo et dramatico — versatur: ita ne „expositio" quidem, qua auditores de rerum statu certiores fiunt, et ad actionis epicae progressus recte intellegendos percipiendosque quasi praeparantur, simplex est, sed in duas partes ita discedit, ut partim narrativa, partim dramatica seu scenica sit. Ne plura: apud Homerum duae expositiones inter se distinguendae sunt: una epica (narrativa), scenica altera.

Atque epica, quam dixi, expositio huc redit, ut non modo auditores de iis rebus certiores fiant, quae ad actionem epicam recte percipiendam scitu necessariae sunt, sed etiam principes rerum gerendarum velut in auditorum conspectum producantur, et omnes, ut ita dicam, personae actionis epicae concitatrices in eorum notitiam veniant. Quam in rem ex multis poëtis adferre libet Apollonium, cuius supra mentionem feci, qui carmen suum ab expositione epica orditur, sed in ea tractanda parum eleganter, ne dicam inscite versatur; nam incredibili exilitate causam expeditionis argonauticae explicat, ipsorumque Argonautarum aridissimum indicem profert; quo tanquam praefandi officio defunctus ad ipsam rem transit, nec narrare desinit, donec Argonautas salvos in Thessaliam reduxit.

§ 206. Iam si Homerum cum Apollonio aliisque eiusdem farinae versificatoribus comparaverimus, quam ingentem inter utrosque differentiam intercedere illico apparebit! Homerus enim, quae eximia eius sanitas est, a mera expositione epica, qua auditores non tam praecipites in medias res rapiuntur, quam oscitantes ab oscitante poëta consopiuntur, tantopere abhorret, ut eam cum fastidio spernat, cauturus scilicet, ne versificatorum istorum ritu prologo tam exili et arido auditoribus taedium creet. Quo igitur modo poëta callidus, qui nil molitur inepte, rem instituit? Initio carminis videlicet expositione epica prorsus abstinet, eamque ad posteriorem carminis locum sibi reservat, ubi exspectatio audientium satis iam concitata erit atque erecta; nam narrationem ordienti poëtae nihil prius habendum est, quam ut incitatiore actionis epicae vi et impetu auditores rapiat atque delectet, quod cum tardiore expositionis epicae progressu effici nequeat, spreta ea, ut dixi, ad scenicam expositionem confugit, quae propter turbulentiorem, quem spirat, impetum ad audientium exspectationem commovendam prorsus idonea est. Quantopere vero arida epicarum expositionum ieiunitas a fervido scenicarum vigore discrepet, id evidentissime apparebit, si frigidissimum Argonauticorum istorum exordium cum praeclaris illis Iliadis et Odysseae exordiis comparabitur, quibus acerrima rixa inter Agamemnonem et Achillem cooriens et frequens hominum ithacensium commercium maximeque procorum turba tumultusque fervida oratione et scenica paene venustate depinguntur. Num, quaeso, maior discrepantia excogitari potest, quam quae inter utraque ista exordia intercedit? Ex hac enim parte vegetus vigor comparet, illinc languida oscitatio; hinc scenica varietas, illinc unus idemque narrationis tenor; hinc nervosa actuosarum scenarum descriptio, illinc verbosa rerum nominumque decantatio; hinc denique incredibilis actionis scenicae vis impetus fervor, illinc intolerabilis narrationis infinitae languor frigus ieiunitas. Quid mirum igitur, si eximia expositionis scenicae dulcedo auditores mira quadam vi capit et adlicit? Vix enim poëta narrandi vel potius canendi initium fecit, cum subito auditores in mediis actionis fluctibus versantur: res non iam narratur, sed tanquam in fabulis scenicis agitur; cita vicissitudine scenae inter se excipiunt; auditores prae anxia exspectatione vix respirare audent. Ecce illud „in medias res rapere", de quo artificio Alexandrini aliique id genus poëtae ne somniarunt quidem.

§ 207. Quo luculentius autem cognoscatur, priori et Iliadis et Odysseae expositioni indolem vere scenicam a poëta ingenitam esse, iam id studebo, ut utrumque exordium in singulas scenas dissecem, quo munere eo facilius defungi mihi licebit, quod exordia illa pro natura sua, ut dixi, in scenas transfigurari non modo non recusare, sed quasi gestire videntur.

Prior Iliadis expositio.

Scena prima (in castris Achivorum):
Agamemno. Menelaus. Ceteri Achivorum principes. Chryses sacerdos. Militum contio.
(Chryses, filiam pretio redimere frustra conatus et ab Agamemnone cum contumelia repulsus, ad oram maritimam discedit.)

Scena altera (in ora maritima):
Chryses solus, Apollini supplicans.

Scena tertia (in castris Achivorum. Post scenam Apollo arcu armatus atque rogi fumantes ex longinquo conspiciuntur):
Achilles. Agamemno. Nestor. Ceteri Achivorum principes. Calchas. Minerva. Contio militum.
(Calchas Chryseïdem patri restitui iubet; Agamemno cum Achille, cui Briseïdem a se ereptum iri minatus est, vehementer altercatur; Achilles, ab Agamemnonis caede a Minerva prohibitus, ex contione furibundus se proripit. Contio dimittitur.)

Scena quarta: Agamemno. Praecones.
(Briseïdem arcessere ab Agamemnone iussi, praecones ad Achillis tentorium decedunt.)

Scena quinta (in Achillis tentorio):
Achilles. Patroclus. Praecones.
(Achilles praeconibus benigne exceptis Patrocli opera Briseïdem restitui iubet, quae ab illis abducitur.)

Scena sexta (in ora maritima):
Achilles. Thetis.
(Thetis precanti filio pollicetur, a Iove se impetraturam esse, ut filio satisfiat.)

En habes seriem scenarum, quas, si res exigere , statim nullo negotio in dialogorum formam redigere possem; quam operam „transformatoriam" — sit venia verbo! — si quis in Argonautarum exordium impendere vellet, id quidem nihil aliud esset nisi oleum et operam perdere; quis enim ieiunam narrationem vel etiam ieiunum frigidumque Argonautarum indicem in scenarum formam redigere audeat, unde vehementer abhorrent?

§ 208. Vix minor diversitas quam Iliadis exordio priori Odysseae expositioni cum Argonauticorum introitu intercedit, utpote quae manifestam indolem scenicam prae se ferat; quod ut comprobetur, ne hanc quidem in scenas dissolvere gravabor.

Prior Odysseae expositio.

Scena prima (deorum contio, in Olympo):
Iuppiter. Minerva. Ceteri dii, excepto Neptuno.
(Minervae impulsu dii decernunt, ut Mercurius Ulixem a Calypso nympha domum dimittendum curet.)

Scena altera (Ithacae, in regia Ulixis domo):
Minerva (Mentes). Telemachus. Proci. Phemius. Praecones et ministri.
(Minerva Telemacho suadet, ut de patre sciscitatum Pylum et Lacedaemonem proficiscatur.)

Scena tertia:
Eaedem personae praeter Minervam. Penelopa.
(Telemachus matrem in gynaeceum reverti procosque ex domo sua discedere iubet; idem in crastinum diem contionem indicit.)

Sed quid ego de scenica harum expositionum vi et indole plura disputem, praesertim cum res perspicua sit et manifesta? Iam ad alteram expositionem pergamus, cui nomen indidi epicae, quam ad quaestionem accedens revertor ad id, unde digressa est explicatio, ad dichotomicam Grotii doctrinam.

§ 209. Quodsi quaeritur, quid tandem „expositiones" poëmatum et epicorum et scenicorum — neutra enim iis carere possunt — velint, facile apparet — identidem, sed consulto, eandem cantilenam cano —, omnia iis contineri debere, quae auditoribus lectoribusve adeo necessaria sint scitu, ut, si dempta essent, totum carmen vel drama vix recte percipere possent: quo quidem primum omnia ea pertinent, quae ipsam actionem epicam scenicamve antecedunt,[1]) in quibusque eiusdem actionis semina et causae latent; deinde vero „principum personarum, quae actionem regunt et moderantur, quasi introductio, quam poëtae inferiores, velut Apollonius Rhodius, ita instituunt, ut heroum indicem conficiant, eumque toti carmini praefigant.

Iam illud, arbitror, vel caeco apparet, tot singulas res in „scenicam" expositionem non posse coartari, quod si fieret, scenica esse desineret. Quid igitur facit poëta, qui nil molitur inepte? Seiungit, ut dixi, epicam expositionem a scenica, ita quidem, ut hanc statim in fronte carminis ponat, illam posteriori eius parti includat, sicque praetermissa quasi compenset; id quod in utramque epopoeiam cadere iam demonstrabo.

§ 210. Atque, ut ab Iliade ordiar, primo obtutu forsitan quispiam animum induxerit, navium indicem, qui dicitur, epicae expositionis instar esse, quippe in quo foederatae civitates et graecae et troianae, navium numeri ducesque copiarum singillatim enumerentur et recenseantur, multaque alia commemorentur, quibus auditores lectoresque de rerum hominumque statu et condicione accuratius edocentur. At non est ita. Nam indici illi navium, quem cum alii recentiores critici tum Wolfius ab ipso Homero prorsus abiudicaverunt, cum epica Iliadis actione adeo nulla contagio intercedit, ut, si tolleretur, eum prorsus non desideraremus; immovero tam universalem, ut ita dicam, indolem et habitum prae se fert, ut cuivis poëmati epico, cuius argumentum ex bello troiano desumptum esset, commode exordii loco praemitti posset.[1]) Qui cui originem debeat, et quatenus diversis rhapsodorum studiis obnoxius fuerit, ut qui suam quisque patriam in eo prae ceteris terris celebratam vellent, id hoc quidem loco in medio relinquere placet; sed illud exploratissimum mihi est, idemque pro certo adfirmare ausim, navium indicem ab homerica Iliadis descriptione abhorrere, ipsumque Homerum de eo ne somniasse quidem. Quod si concesseris, sequitur, eum epicae expositionis loco putari non posse.

§ 211. At, inquies, ubi tandem est epica illa expositio, qua poëta, ut demonstratum est, supersedere nequit? Ubi latet? Qua Iliadis parte continetur?

Cui quaestioni ut satisfaciam, revertor ad id, unde digressus sum, ad „dichotomicam" Grotii et Friedländeri rationem. Etenim omnes illae ἀριστεῖαι, quas uterque ex Iliade tanquam furca expellere ausus est, id est omnia, quae rhapsodiis B—H continentur, ad epicam illam expositionem pertinent. Quae igitur Menelaus, quae Diomedes, quae Hector et Aiax, quae Ulixes cum eodem illo Diomede, quae denique multi alii heroes fortiter gesserunt, ea omnia Homerus in illis libris evidenter exponit, ipsosque pugnatores, quos ex ceteris Iliadis partibus auditoribus vix satis cognoscere liceret, in iisdem libris coram nobis agentes inducit. Si quis ergo Grotii admonitu partes illas ab ipso Iliadis corpore segregaret, id profecto nihil aliud esset quam necessariam poëmatis partem desecare et corpus epicum obtruncare. Quod ne fiat, faxit deus mercurialium virorum custos.

§ 212. Sed ne Odyssea quidem sua expositione epica caret. Qua eadem utique eget; nam scenica expositione, unde poëta hanc epopoeiam orditur, auditores de novissimo quidem rerum ithacensium et ipsius Ulixis statu et condicione certiores fiunt; non item de iis fatis, quibus inde a Troiae excidio usque ad ogygii litoris appulsum ille defunctus est,[2]) quorum quidem enarratione poëtae eo minus supersedere licet, quod exordium actionis epicae, quae tota in Ulixis reditu vertitur, in ultimum diuturnae eius absentiae annum incidit,

---

[1]) Nos dicimus: die Antecedentien der epischen oder dramatischen Handlung.

[1]) Eadem est sententia Guilelmi Mülleri, qui haec (homerische Vorschule. Edit. II. p. 97): „Allgemeiner Natur und ohne alle Berührung mit der Zeit und Handlung der Ilias ist der Schiffskatalog, welcher als Einleitung vor jedem epischen Gedichte stehen könnte, welches frühere oder spätere Perioden des troianischen Krieges umfasste."

[2]) Accuratiore computatione facta efficitur, Ulixem per septem annos in Calypsus insula commoratum esse, eundem igitur Troia relicta duos tresve annos erroribus absumpsisse, priusquam Ogygiam perveniret.

omnia ea igitur, quae novem prioribus errorum annis perpessus est, auditoribus exponenda restant. Quam expositionem poëta rhapsodiis ι—μ reservat, ita quidem, ut, praeclaro artificio usus, ipsum Ulixem fata sua apud Phaeaces narrantem faciat. Apparet igitur, hanc Ulixis narrationem iustam et legitimam expositionem epicam esse, quae, cum omnes eas res contineat, quas in scenica expositione explicare poëtae non licuit, pro necessaria epopoeiae parte habenda sit, nec ullo modo deesse possit. Quae cum ita sint, opinio eorum repudianda est, qui, Guilelmi Mülleri[1]) exemplum secuti, Alcinoi apologum, quem veteres dicunt,[2]) epyllion in se ipso totum atque rotundum ex seseque aptum esse sibi persuaserunt. Immovero nihil aliud quam epopoeiae particula est necessaria illa quidem, sed tamen mera particula totius carminis universitati subiuncta.

§ 213. Iam ex iis, quae adhuc disputavi, satis apparuisse spero, dichotomicam Grotii et Friedländeri rationem falsissimam esse. Nam tantum abest, ut „aristearum" illarum complexio pro Iliade minore maioris Iliadis compagi inserta habenda sit, ut contra nihil aliud sit nisi expositio epica, qua tanquam supplemento audientibus ea suppeditantur, quae singillatim explicandi in priore expositione ob scenicam eius indolem poëtae potestas non erat concessa. Ergo efficitur, unitatem Iliadis ab illis doctrinae dichotomicae defensoribus frustra esse impugnatam.

CAPUT UNDECIMUM.

Bernhardyana de carminibus homericis iudicia excutiuntur et examinantur.

§ 214. Historiam litterariam graecam a se editam Bernhardy iteratis curis ita retractavit, ut novissima eius editio a superiore aliquanto differat. Imprimis vero eam partem, quae in carminibus homereis enarrandis versatur, tantopere immutavit vel potius transformavit, ut et alterius editionis formam vix agnoscas et erratorum peccatorumque, quibus multis et gravibus ea laborabat, magnam partem iam frustra quaeras. Quod ut faceret, vir doctissimus impulsus videtur esse acerrima censura, qua Iohannes Minckwitz[3]) vitia bernhardyanae doctrinae inhaerentia tam evidenter patefecerat tantaque severitate castigaverat, ut ipse Bernhardy, quantopere sententiae

1) Homer. Vorschule. Ed. II. p. 98. adn. 1: „Nur die Erzählung der Irrfahrten des Helden bildet ein ganz in sich abgeschlossenes Epos".

2) Plat. de rep. X. p. 614a: ἀλλ' οὐ μέντοι σοί, ἦν δ'ἐγώ, Ἀλκίνου γε ἀπόλογον ἐρῶ. Aristot. Poet. c. 16: ἡ ἐν Ἀλκίνου ἀπολόγῳ (ἀναγνώρισις).

3) In libello, qui inscribitur: Vorschule zum Homer. Stuttgart 1863.

a se prolatae emendatrici manu egerent, intellegere illamque operis sui partem vel invito animo totam retractare cogeretur. Idem autem apud Minckwitzium acerbitatis suae virus evomuit, cum naso suspensum eum „procacem in litteris hospitem" appellaret, eiusque libellum tanquam vilissimum opus fastidiose despiceret.[1]) Quam incredibilem arrogantiam eo minus probandam esse censeo, quod Minckwitzius, qui ipse ingenio poëtico, neque eo mediocri, praeditus est, tametsi quaestionis homericae difficultates non sustulisse videtur, tamen antiquissimae poësis naturam et indolem multo melius perspexit quam severissimus, cuius iram in se convertit, censor, quem eruditiorem quam elegantiorem fuisse quaevis bernhardyani operis plagula documento est. Ac ne novissima quidem quaestionis homericae tractatio, quam Bernhardy in lucem edidit, omni vitio caret, immo vel aequissimo iudici multos scrupulos inicit multasque reprehendendi ansas praebet. Quod meo iure me dixisse in eo est ut demonstrem.

§ 215. Haec in universum praefatus, iam sententiam, quam Bernhardy de carminum homericorum origine in medium protulit, singillatim examinabo. Dicit autem, ut hinc ordiar, fere haec[2]): nomen Homeri, cum ab ὁμοῦ ἄρειν derivari legibus etymologicis vetetur, non posse eum significare, qui singula carmina inter se contexat; immovero Homerum esse ultimum auctorem et conditorem magnarum epopoeiarum, quae ante eum exstiterint nullae; eundem tanquam „genium" illius artis haberi posse, qua a nuda separatorum carminum simplicitate ad artificiosam maiorum poëmatum compagem audacter progressus sit factus; ergo ab Homero „cyclum" fabularum, qui in se ipso totus fuerit atque rotundus, nec tamen uno tractu perfici potuerit, dispositum esse et digestum; eundem, Iliadis ratione primis lineis designata et descripta, primum sententiam carmini subiciendam invenisse, circa quam tanquam cardinem perpetuitates fabularum verterentur; ab eodemque fabulas populares modo et ratione ad unitatem quandam et congruentiam revocari coeptas esse.

§ 216. In universum haec multo rectius disputata sunt, quam ea, quae in superiore editione leguntur. Atque quominus Homerus auctor inventorque magnarum epopoeiarum appelletur, non obsto; ac ne genii quidem appellationem condemnem, cum poëta genii instar artem a se inventam custodire tutarique dici queat. Quod vero in priore editione Homerum perfectioris artis „typum" dixerat,[3]) id

1) Grundriss der griech. Litter. Halle, Eduard Anton. 1877. 3. Bearb. 2. Theil: Geschichte der griech. Poesie. Abth. I. p. 145: „Was in so freier Stimmung ein dreister Dilletant mit naiver Selbstgefälligkeit vermag, das erhellt aus einem Pamphlet von Johannes Minckwitz: Vorschule zum Homer" e. q. s.

2) Geschichte der griech. Poesie. I. Abth. p. 148: „Zwar wird man von der unmöglichen Etymologie ὁμοῦ ἄρειν (welche nicht einmal den Gesetzen der Wortbildung entspricht) keinen Nutzen ziehen, aber unbedenklich mit Welcker und Nitzsch Homer, den Stammvater der grossen Epen, als den Genius jener Kunstfertigkeit betrachten, welche mit kühnem Griff statt vereinzelter Lieder ein zusammenhängendes Ganzes unternahm. Er war der Ordner eines gleichartigen, aber nicht auf einmal zu vollendenden Sagenkreises, und sein organisirender Geist fand im Gedanken einer Ilias den Schwerpunkt für stetige Reihen; mit ihm begann der Verband volksthümlicher Mythen durch einheitlichen Plan."

3) P. 123: „Der ideelle Typus und Genius jener Kunstfertigkeit" e. q. s.

quidem iure correxit; etenim typus alicuius rei nihil aliud est quam certa quaedam et stabilis forma, quam in animis insculptam habemus; est igitur nihil nisi notio abstracta. Dii autem prohibeant, ne omnium poëtarum princeps, qui summo ingenii ardore et inflammatione ceteris omnibus antecellit, in abstractae notionis inanitatem diffluat.

§ 217. Vix aut ne vix quidem ea probari posse videntur, quae Bernhardy alio loco de antiquioribus carminibus disputat, quae Homerus in usum suum converterit. Dicit enim: ex uberrima cycli troiani copia Homerum primum illum de Achillis ira mythum tractandum desumpsisse; ad exsequendum autem novum illud opus variam ac multiplicem materiam inter se coniungi necesse fuisse, sicque factum esse, ut Homerus multa antiquiora carmina cum episodiis[1]) ab ipso inventis contexeret.[2])

At talis aliena et sua consarcinandi industria ut omnino nativae poësis indoli aperte repugnat, ita maxime abhorret ab Homero, qui suam quandam et propriam naturam tam constanter servat, ut nihil alieni, nihil asciti, nihil aliunde desumpti apud eum deprehendatur. Aniles mehercle ineptias narro: idem ille Homerus, qui nullis adminiculis, sed, ut dicitur, suo Marte officium poëticum explet, nec cuiusquam vel adiumento vel auctoritate eget, ad aliorum poetarum, multo scilicet inferiorum, carmina confugisse, eaque cum suis consuisse dicitur. Immovero optima quaeque ex antiquioribus carminibus desumpsit flosculosque decerpsit, quos, ut par erat, in usum suum converteret. At aliud est aliorum inventis sapienter uti, aliud sutoris ritu sua cum alienis consuere et consarcinare.

§ 218. Sequitur, ut ea examinemus, quae Bernhardy et de Iliadis, quam Homerum incohatam reliquisse ab eo edocemur, perfectione et de rhapsodorum industria, qua singulae eiusdem epopoeiae particulae divelli et ex omni inter se contagione dissolvi prohibitae sint, praecipit. Sententia autem viri cl. huc fere redit[3]): quod singulae Iliadis partes non omni vinculo caruerint, quo inter se continerentur, id quidem serae rhapsodorum industriae deberi; tam amplam enim epopoeiam neque uno tractu neque ab iisdem poëtis perfici potuisse, sed ab eiusdem artis hominibus, qui cum delectu, nonnullis

---

1) Ergo Homerus ad conficiendam Iliadem et Odysseam de suo nihil contulit nisi deverticula quaedam et „parerga", ipsa autem epopoeiarum capita ab antiquioribus poëtis mutuatus est!

2) Gesch. der gr. Poes. Abth. I. p. 130: „Von ihm wurde zuerst aus der Fülle des ilischen Sagenkreises die Geschichte vom Zorne des Achilleus hervorgezogen, — ein Motiv, das den Plan eines Ganzen vielleicht in mässigen Gränzen zusammenhielt; der neue Bau forderte den Verband eines vielfältigen Stoffs, und der Dichter verflocht eine Folge vorhandener Lieder mit Episodien seiner eigenen Erfindung."

3) Gesch. der gr. Poes. I. Abth. p. 149: „Seine (des Epos) Centralisation erfolgte spät und aus rhapsodischen Vorräthen; denn ein so grossartig angelegtes Epos konnte weder auf einmal, noch durch dieselben Dichter vollendet werden, sondern kunstverwandte Sänger, welche nach Auswahl und nicht ohne Zusatz oder Abänderungen daraus vortrugen, hatten den Text fortgeführt und vervollständigt." Ibid. p. 136: „Was uns vorliegt, das stammt aus der Gemeinschaft einer geistesverwandten Kunstschule, welche mit einer ausgebildeten Technik, in öffentlichem Gesang und in schriftlicher Fortsetzung, die fruchtbarsten Motive zu verarbeiten übernahm und ihren ausgedehnten Plan, noch durch Episodien verstärkt, in grosser Breite bis auf einen Höhepunkt brachte. Dieser lag in der Patroclia" e. q. s.

aut additis aut mutatis, carmina recitare consuessent, textum amplificatum esse et suppletum; Iliadem igitur familiae poëtarum originem debere, qui, perfecta arte instructi duplicique publicae recitationis et artis scriptoriae subsidio usi, uberrimas materias tractandas sibi sumpserint, actionemque epicam per se sat amplam et „episodiis", quae dicunt, auctam et amplificatam non sine longo anfractu ad summum usque gradum evexerint.

§ 219. Grave profecto munus onusque his verbis rhapsodorum familiae imponitur, quo gravius excogitari potest nullum. Uberrimas, inquit, materias ex mythorum thesauro selegerunt, perfecta arte tractaverunt, denique in magnae epopoeiae formam incluserunt; cui industriae Ilias nostra, qualem in manibus habemus, originem debuit. — Quam sententiam si recte intellexi, Homerus quasi quidam carminum epicorum fabricator fuisse existimandus est, qui in officina, cui praefuit, magno sociorum vel ministrorum grege stipatus erat, qui eum in opere conficiendo adiuvabant: quasi vero ars poëtica nihil aliud sit nisi negotium servile, in quo operarii, pensa imperata aequabiliter inter se partiti, sint occupati. — Et quae tandem officii poëtici pars ipsi Homero relinquitur, si rhapsodi non solum fabulas elegisse et materiem carminis conquisivisse, sed etiam singulas eius partes elaborasse et in unius corporis epici compagem coniunxisse statuuntur? Et quas, quaeso, materias ipse magister sibi sumpsisse credendus est, si discipuli uberrimas tractasse dicuntur? An minus uberes, ne dicam exiles et ieiunas? — Quid officii — iterum quaero — sectae principi restat, si rhapsodi gravissimis eius partibus defuncti sunt? — Epopoeiae, inquit, velut fundamenta iecit, hoc est eius formam descripsit et ipsum opus incohavit. — Audio. At id facere non potuit nisi ita, ut ex fabularum thesauro uberrimas materias eligeret, ex artis legibus eas disponeret, deinde totam epopoeiam adumbraret primisque lineis designaret, denique praecipuas maximeque necessarias eius partes perficeret. Quae cum negamus, Homero paene nihil deberi statuimus.

§ 220. Quo autem iure, quaeso, Bernhardy rhapsodis tot tantasque laudes impertire potest, cum supra dixerit, Homerum magnarum epopoeiarum auctorem esse et conditorem, Homerum a separatis carminibus ad artificiosorum poëmatum compositionem processisse, ab Homero „cyclum" fabularum si non perfectum, at dispositum esse, Homerum Iliadi sententiam subiecisse eique series vel perpetuitates fabularum superstruxisse, Homerum denique mythos populares ita conformasse, ut apte inter se congruerent ac totum quiddam efficerent. Quae si paucis complector, hoc dicit: Homerus uberrimas materias mythicas elegit, ad unitatem revocavit, denique summa arte in magnarum epopoeiarum formam redegit. Quae omnia si Homerus anticipaverat, quid tandem rhapsodis vel Homeridis perficiendum restitit? Quem campum iis reliquit magister, in quo ingenia eorum exsultare easque laudes sibi parere possent, quas Bernhardy iis tribuit?

§ 221. Neque minus inter se repugnant, quae Bernhardy de communi Homeridarum vel rhapsodorum industria disserit, quam et ad perficiendam et ad corrumpendam poësim homream valuisse

docet. Quam ad rem duo potissimum loci pertinent. Atque priore loco[1]) ait: inaequalitates et discrepantias et vitia, quae in nonnullis rhapsodiis deprehendantur, argumento esse, multos sodales ad commune opus suscipiendum conspirasse.

Altero autem loco[2]) dicit haec: quodsi multi sodales, et ii ingeniosi, magistro opitulati, eius opus additamentis supplementisque amplificaverint, inde intellegi, qui fieri potuerit, ut antiquissimum Graecorum carmen ad tantam perfectionem perveniret, ut artis poëticae scriptores locupletem exemplorum thesaurum inde excerperent, quibus artis epicae leges et praecepta inlustrarentur.

Ergo ex praeclaris his explicationibus efficitur: communem multorum poëtarum industriam duplicem hanc vim habere, ut et multa vitia in opus communiter confectum inrepant, et idem illud opus ad incredibilem perfectionis gradum perveniat!

§ 222. Venio nunc ad rhapsodias B—H et K, quibus Bernhardyo iudice rerum graecarum et troianarum descriptiones contineantur, quae cum Achilleïde nullo artiore vinculo copulatae sint, unde fiat, ut duas actiones epicas internoscere liceat, quarum altera in alteram inclusa sit.[3])

Bernhardy igitur Iliadem bipartitam esse statuit, ita quidem, ut una pars iram Achillis quaeque inde sequantur comprehendat, altera in illis descriptionibus versetur, quae in mediam exordii et Achilleïdis commissuram insertae sint.

Quam sententiam cum in medium profert, album calculum adicit „dichotomicae“ isti rationi, quam a Grotio propositam accuratius persecutus est Friedländer. Causa autem, cur Bernhardy rhapsodias illas ex Achilleïdis compage exclusas velit, parum idonea est. Illae graecarum et troianarum descriptiones, inquit, cum Achilleïde non satis in unum confusae sunt. — Audio. At neque Bernhardy neque illi bipartitae Iliadis defensores intellexerunt, „dichotomiam“ istam a compositione Iliadis, quae unitatis legibus omnibus numeris respondet, prorsus abhorrere. Nam tantum abest, ut rhapsodiae B—H Iliadem minorem, quam dicunt, contineant, cui nulla cum Achilleïde intercedat contagio, ut rem subtilius excutientibus nobis facile appareat, „expositionem epicam“ iis esse inclusam. Quae quam arte cum uni-

[1]) Gesch. der griech. Poes. I. Abth. p. 134: „War also Homer der Erfinder und Bildner der in engeren Gränzen angelegten Ilias, so kann eine Reihe von Unebenheiten oder Widersprüchen eben so wenig stören als die Schwächen einiger Gesänge, die weniger nothwendig sind und in keiner engen Beziehung zum Kern des Gedichts stehen; sie beweisen, was man immer voraussetzt: viele Theilnehmer müssen zur gemeinsamen Arbeit zusammengetreten sein.“

[2]) Ibid. p. 137: „Haben also viele kräftige Geister sich um Homer geschaart, sein Werk mit Beiträgen und Nachdichtung ausgebildet, so begreifen wir, wie das älteste Gedicht der griechischen Litteratur jenen unglaublichen Grad der Praxis und Vollkommenheit erreichen konnte, dass die Theorie des gesammten Epos daraus eine vollständige Beispielsammlung und jede Methode der epischen Poesie zog.“

[3]) Ibid. p. 136: „Jetzt, da diese Bilder der troianischen und achäischen Welt durch keine präcise Redaction mit den Elementen der Achilleïs verschmolzen sind, sondern zwei epische Kreise behaglich in einander laufen — — —: dürfen wir nicht zweifeln, dass der Dichter, welchem der Kern und Grundgedanke der Ilias angehört, weder selber sein Werk abschloss, noch Genossen fand (?), die mit Hingebung sofort dieselbe Bahn verfolgten.“

verso carmine cohaereat, vix est quod explicem; nam poëta, qui nil molitur inepte, sapienter rem ita instituit, ut exordium, quo „expositio scenica“ continetur, statim expositio epica exciperet, qua auditores, priusquam in mediam actionem epicam eiusque gradationes abriperentur, fortissimos heroes, pugnae genus multasque alias res, quae auditoribus scitu necessariae essent, accuratius cognoscerent. Quam rem aliis locis[1]) accuratius tractatam hic strictim attigisse sufficiat.

§ 223. Sequitur, ut ea examinem, quae Bernhardy contra rhapsodiam nonam attulit, quo imprimis illud pertinet, quod salvo rerum contextu eam deesse posse ait.[2]) Quo ex dicto apparet, compositionem Iliadis ab eo parum esse perspectam. Nam eo ipso temporis puncto, quo inrita Achivorum legatio de medio tollitur, perpetuitas earum gradationum, quibus actio epica ad summum gradum promovetur, importunissime interrumpitur. Summus autem gradus, ad quem actio enititur, in maxima Achivorum calamitate cernitur, qua et ipsi ad incitas rediguntur, et ut Achilli satisfiat efficitur. Eo autem tendit gradatio triplex: Troianorum pro castris navalibus excubiae, quibus fit, ut Achivi paene obsidione claudantur; cassa ad Achillem legatio, qua, quidquid speculae Achivis usque ad id tempus manserat, prorsus exstinguitur; denique pugna muralis et castrensis, qua hostibus in ipsa castra navalia irrumpere contingit. Quibus gradationibus cumulum adfert summus actionis gradus, ubi in eo est, ut naves expugnentur ignique crementur. Quarum gradationum, quae vi et impetu inter se exsuperant, si vel unam sustuleris, praeclara illa „climax“ delebitur, cuius velut scalis actio epica ad summum gradum tanquam ad cacumen enititur.

Et continuum illum actionis progressum Bernhardy sine scelere dirumpere posse sibi visus est, cum rhapsodiam nonam supervacaneam esse sibi persuaderet!

§ 224. Alterum crimen, quod Bernhardy in rhapsodiam nonam intendit, huc redit, ut prava interpolatorum industria eam dilatatam atque diffusam esse et posteriori curae originem debere dicat; eo accedere, quod ex ceterarum rhapsodiarum compage exclusa sit, neque uspiam in posterioribus libris commemoretur.[3]) At e contrario, ut hinc ordiar, adeo nullum interpolationis vestigium ei impressum est, ut ne minutissima quidem huius rhapsodiae particula salva rerum perpetuitate tolli possit. Nam, ut dixi, rerum contextus utique poscit, ut nona rhapsodia progrediente res eo deducatur, ut legatio ab Achivis ad Achillem mittatur, eadem tamen infecta re redeat. Singula autem momenta, quibus actio epica ita impellitur ac promovetur, ut Achivi in summo rerum discrimine Achillem adire cogantur, sunt haec: Agamemno principibus — tantus terror in his angustiis ipsi imperatori incidit — fugam suadet; ad castra, quibus hostes immi-

[1]) § 74 e. q. s. § 205 e. q. s.

[2]) Gesch. der griech. Poes. Abth. I. p. 138: „Manche Bücher, wie 6, 9 und 10, könnten ohne Nachtheil für den Zusammenhang fortfallen“.

[3]) Gesch. der griech. Poes. Abth. I. p. 139: „Das durch Interpolation in die Breite gezogene Buch 9, oder die vergebliche Gesandtschaft an Achilleus, dem Agamemnon volle Genugthuung anträgt, verräth jüngeren Ursprung und steht für sich (!); kein späteres Buch nimmt darauf Bezug (!).“

nent, tutanda prope fossam praesidium collocatur; iam principes, sibi desperantes, legatos ad Achillem mittere statuunt. Ecquid, quaeso, omnium horum inutile aut supervacaneum est? Ecquid interpolatoris industriam sapit, quod Bernhardyo est visum? Nonne e contrario omnia apte inter se congruunt eodemque tendunt, ut videlicet altera actionis gradatio efficiatur? Ne scitum et callidum eum interpolatorem dixeris, qui „emblemata“ sua tam concinne ipsi poetae narrationi intexuerit! — At dilatata, inquit, narratio est atque diffusa. — Ubi, quaeso? in qua rhapsodiae parte? Cur vir doctus, sicubi quid iusto fusius expositum aut altius repetitum est, non ipsos locos significavit? Quos cur notare omiserit, gravissima est causa: exstant nulli. — Ain' tu? At Phoenicis senis sermo nonne tantopere dilatatus est, ut auditoribus taedium creet? — Audio. At ipsa illa garrulitas adeo non reprehendenda est, ut poëtam utroque pollice laudem, qui Amyntoriden uno spiritu infinitum illum sermonem effutientem fecerit. Primum enim senes natura loquaces esse consuerunt; ergo Phoenicis garrulitas naturae accommodata atque tota ad mores humanos efficta est. Deinde vero quid ad animos commovendos aptius est et efficacius quam imago senis benevolentissimi, qui, aerumnosorum popularium caritate ac miseratione permotus, lacrimis obortis eloquentiae suae velut flumen largissime effundit, ut Achillis animum flectat, eumque ad Graecos ab interitu vindicandos impellat? Quid? Tota haec descriptio nonne ex ipsa natura expressa, non verae humanitati accommodata, non ipso Homero dignissima est? Nonne stultum esset, ne dicam ridiculum in legitimis eiusmodi degressionibus falsam verbositatem aut nimium a proposito aberrandi studium odorari?

§ 225. Restat, ut reliqua crimina a Bernhardyo contra nonam rhapsodiam allata refutentur. Atque perperam ille facit, quod ad posteriorem aetatem eam detrusam vult, cum prorsus nullum indicium prae se ferat, unde ceteris libris aetate cedere argui possit; ergo eius erat sententiam suam et argumentis et exemplis comprobare. — Quod vero deinde dicit, rhapsodiae nonae cum ceteris rhapsodiis nullam intercedere contagionem, neque in posterioribus libris ullam eius mentionem fieri, magnopere miror, in Iliade illum adeo hospitem esse, ut ne meminerit quidem in undevicesima rhapsodia ad nonam manifesto respici. Etenim in priore noni libri parte[1]) Ulixes singillatim enumerat dona, quae Agamemno ad Achillem placandum eidem obtulerit: decem auri talenta, tripodes, lebetes, equos, servas, denique matrimonium cum una ex imperatoris filiabus paciscendum. Eorundem autem donorum bis mentio fit in libro undevicesimo, ubi Agamemno, cum Achille in gratiam reversus, se paratum esse dicit dona reddere, quae Ulixes die hesterno illi promiserit,[2]) paulo post[3]) autem Achillem ceterosque opperiri iubet, donec selecti Achivorum iuvenes munera ista attulerint.

Et horum locorum, quorum alteri ad alterum quasi digitos intendunt, Bernhardy tam immemor esse potuit, ut ullam inter rha-

[1]) I 262 e. q. s.
[2]) T 140 e. q. s.
[3]) T 188 e. q. s.

psodias I et eas, quae sequuntur, communitatem intercedere negaret? Quis est, quin tali errori non tam fortuitum memoriae lapsum, quam incredibilem carminum homereorum inscitiam subesse suspicetur?

§ 226. Bernhardy sententiam suam breviter complectitur his fere verbis:[1]) quamvis carminibus homereis manifesta et sempiterna unius eiusdemque mentis vestigia impressa sint, tamen ea communi industriae sodalitatis cuiusdam originem debere censenda esse, quae non modo non inter se consenserit conspiraveritque, sed ne eiusdem quidem saeculi fuerit; ultimam autem limam his operibus prorsus defuisse, neque quenquam extremam manum iis imposuisse, ut magnae illae inaequalitates et discrepantiae, quibus non modo compositio epica, sed etiam versuum structura et dictio laborarent, exaequarentur vel tollerentur.

Ne hic quidem scriptorem cavisse, ne „inter se pugnantia adversis frontibus componeret“, vix est quod explicem; res ipsa loquitur. In universum autem doctrina bernhardyana eodem vitio laborat, quo commenta omnium eorum laborare necesse est, qui carminum homereorum vitia non ad mancam ultimae antiquitatis memoriam, sed ad communem multorum poëtarum industriam revocant. Sed hanc rem iterum ac saepius aliis locis tractavi.

Ea autem, quae Bernhardy de Odyssea fusius disputavit, longius persequi supersedeo, vix videlicet operae pretium facturus esse mihi visus, si eius explicationibus, quibus ipse rerum nervus raro tangitur, diutius etiam institerim. Compositionem autem Odysseae ab eo non magis perspectam esse quam Iliadis, eum facile largiturum confido, qui meam de hac re expositionem, quae altera tertii capitis parte continetur, accurate perlegerit, perlectam cum Bernhardyi comparaverit.

CAPUT DUODECIMUM.

Discrepantiae, quae in carminibus homericis occurrunt, recentiorumque criticorum „atheteses“ in universum examinantur.

§ 227. Poëtam epicum operis sui formam ac speciem ita primis lineis adumbrasse et praeparatoria quadam industria praeformasse supra exposui[2]), ut res enarrandas imaginibus vel visionibus quibusdam animo conceptis includeret, quibus opere procedente sensim et pau-

[1]) Geschichte der griech. Poesie. Abth. I. p. 153: „Sobald wir eine leidliche Zahl stichhaltiger Analysen zusammenfassen, bedeutet unser Homer, wie sehr auch ein ordnender Geist in scharfen und unverlierbaren Zügen erscheint, das Kollektiv einer Gesellschaft aus mehreren Jahrhunderten; daneben vermisst man die letzte Hand, welche diese starken Unebenheiten in epischer Komposition, in Vers und Sprache überglätten und ausgleichen musste.“
[2]) § 36 e. q. s.

latim menti obiectis totum actionum epicarum cursum rerumque ordinem deinceps in memoriam revocaret, quarum continua series vel perpetuitas, ut iterum hoc simili utar, fili instar esset, quo duce cursum teneret, difficilemque et tortuosam per diffusi carminis velut labyrinthum viam conficeret. Quo artificio satis cautum erat, ut in universum quidem rerum continuatio ex poëtae memoria ne excideret; ut in singulis minutulisque rebus semper secum consentiret sibique constaret, non item; immo fieri non potuit, quin haud pauca intercurrerent, quae inter se parum concinerent, vel etiam prorsus repugnarent. Quemadmodum enim omnia humana minime perfecta sunt vitiisque laborant: ita ne memoriola quidem humana, tametsi sescentis adminiculis adiumentisque ei succurritur, satis tenacem firmamve se praestat, immo res tam imbecilla est et velut rimularum plena, ut res ibi repositae facillime perlabantur et excidant.

§ 228. Jam considerantibus nobis, ne recentiorem quidem poëtam, qui librum manuscriptum prae manu habet, quo perlustrato, simulac ei collibitum est, quid in prioribus operis partibus scripserit aut non scripserit, certiori fieri et, si res postulaverit, aut errores corrigere aut discrepantias tollere ei licet, opus paulo amplius ad eam perfectionem posse perducere, ut omni labe aut vitio careat, facile liquebit deliri hominis esse poscere, ut Iliades et Odysseae, quippe amplissima ac paene vasta opera, quae sine ullo artis scriptoriae adiumento composita sunt et elaborata, omni vitio, omni errore, omni discrepantia vacent.

Atque hoc loco, nisi omnia inter se perturbari miscerique volumus, probe distingui necesse erit inter poëtas illos ab ipsa natura factos, qui, solis animi ingeniique viribus instructi, adventiciis adiumentis praesidiisque prorsus carent, et inter recentiores „librorum“ scriptores, qui, omni supellectile et scriptoria et litteraria instructi armatique, ad libros conscribendos se conferunt.

§ 229. Atque hi quidem, sicubi propter memoriae imbecillitatem in angustiis versantur, aut bibliothecam suam adeunt, aut librum manuscriptum consulunt, quorum adiumentorum neutro unquam destituuntur; iidem nullam norunt difficultatem, nisi quae ex rerum inventione inventarumque rerum scita et artificiosa narratione, quam maxime adfectant, nascitur; minime vero curant ac paene neglegunt, quid memoriae vis valeat, cum omnis, qua ad inventa sua custodienda et conservanda egent, vis memorialis in eorum calamis lateat.

Quantopere vero a tali recentioris aetatis poëta penna armato differt vates ille grandaevus, ultimae antiquitatis praeco atque interpres! Clausis oculis ceterisque omnibus posthabitis et neglectis in altissima meditatione defixus sedet; omni auxilio praesidioque plane destitutus, suo ipsius et ingenio et genio nititur, neque quicquam nisi heroicae aetatis splendorem et magnificentiam medullis inclusum habet, de rebus minutulis ac levibus rerum a se enarratarum discrepantiis unice ille securus. Quid? Poëtae, magnificentissimo et heroicae virtutis praeconi, meras nugas minutiasque cordi fuisse censebimus? Cordi autem? Immo vero etiam eas aut prorsus non animadvertisse aut, si animadvertit, vix flocci fecisse existimandus est. Quid vero? Num omnino fieri potuisse credibile est, ut aut

poëta inter meditandum aut auditores inter audiendum discrepantias illas persentiscerent, in iisque offenderent? Minime vero, quantum ego sentio; nam nec poëta, ad maiora intentus, minora respiciebat, nec auditoribus, rapidissima scilicet recitationis incitatione abreptis, in singulis minutulisque rebus haerendi satis temporis relinquebatur.

§ 230. Nos vero, qui hodie carmina homerea in librorum formam redacta in manibus habemus, ecquid, quaeso, discrepantiarum istarum persentiscimus, modo, nulla legendi intercapedine facta, uno, ut aiunt, tenore ea perlegamus? Minime gentium; nam, si quis paulo festinantius velocique oculo primam quamque rhapsodiam percucurrerit caveritque, ne inter legendum iterum ac saepius in singulis minutulisque rebus haereat, fieri non poterit, quin vel maiores discrepantiae eum ita fallant et subterfugiant, quasi prorsus nullae essent. Antiquissimi Graeci vero nonne Homeri carmina multo velocius etiam inter audiendum auribus percipere cogebantur quam nos inter legendum? Rhapsodi enim, ut qui inter recitandum summo animi fervore atque ardore inflammarentur, et insuper omnium regionis meridianae incolarum ritu acri fervidoque essent ingenio, non, si diis placet, lenta tarditate vel etiam segnitie, sed vividiore quodam impetu spirituque, qualis ex animi incitatione nasci solet, carmina illa recitare consuesse tam manifestum est, ut vel caeco appareat.

Illud igitur constat integris iudicibus Homeri carmina sine haesitatione et, ut pliniano[1]) vocabulo utar, cursim perlegentibus vix umbram discrepantiarum offerri. Quid? quod Ilias et Odyssea vel subtilissimis callidissimisque artis poëticae existimatoribus adeo nihil offendiculi praebent, ut non modo mirifice iis delectentur, sed etiam, quod Schillero nostro accidit,[2]) praeclaram narrationis epicae perpetuitatem pariter atque universorum operum et singularum partium congruentiam aequalitatemque non admirari non possint.

§ 231. Sed, quod ne sagacissimi subtilissimique quidem artis existimatores animos induxerunt, ut ex carminibus homericis discrepantias eruere studerent, id recentiores philologi non modo non reformidant, sed dedita opera ita perficere audent, ut, Homeri carmina pervolutantes, admirabili quadam ad investigandum sagacitate ubivis locorum discrepantias odorentur; odorentur autem? immovero ut, incredibili aviditate minutissima quaeque perscrutati, eas aucupentur, captent, venentur. In quo destruendi studio ac Vandalorum furore insolenter se iactant, ne dicam exsultant triumphantque, tanquam praecipuo quodam iure in campo illo quasi proprio et suo impune vagari sibi liceret; iidemque aegerrime patiuntur, si quis effrenatae eorum licentiae intercedere audet. Scilicet ad rerum naturae inquisitores et artium existimatores provocant: illis nullo interpellante concedi perhibent, ut minutulas fossilium crustas chemica, quam dicunt, analysi sua in elementa dissolvant easdemque trutina et statera vel etiam microscopo examinent, rerum geologicarum scientiam et cognitionem inde aucturi; his impune licere in vetere pretiosaque tabula picta alienas lineas indagare odorarique, neque iisdem inter-

---

[1]) Plin. Epist. V, 14, 8 ed. Henr. Keil.
[2]) Cf. § 25.

dictum esse, ne ex tenuissimis picturae, colorum, dispositionis discriminibus cui artifici opus debeatur coniectent; unis philologis minutiarum studium exprobrari, si suo in genere idem faciant.[1])

§ 232. Quod argumentum paulo accuratius examinare mihi liceat. Qua in re praetermitto physicos artisque studiosos multo mitiores esse et placidiores, quam ut splendidissima artificia in particulas discerpere animos inducant: hoc brevissime dicam, homines philologos ne ius potestatemque quidem habere Homerum angusto illo et minuto modulo metiendi. Nam chemici artiumque amatores ipsa re coguntur ad analyticam et microscopicam, quam vocant, rationem confugere, cum alioqui rerum naturae occulta retegere perscrutarique omnino non liceat; philologi vero, cum Homerum dissecant, non modo in venerandissimum vatem saeviunt, sed etiam „bibulum litus curvo aratro proscindunt“, siquidem deletrici eorum industria nihil aliud efficitur, quam quod per se intellegitur nec interprete eget, naturae lege posci, ut poëmata sine instrumentis scriptoriis confecta omni lima prorsus careant, ideoque polientis emendatoris manum redolere nequeant. Hoc dico: necesse est carmina, quae mera ingenii memoriaeque vi sine ullis adventiciis subsidiis adminiculisque procreata et conservata sunt, discrepantiis laborare; necesse est ea non esse politius limata; necesse est omni putido ac molesto artificio ea vacare. Quod si secus esset, calamum chartamque saperent, carerentque cum ceteris praeclaris virtutibus tum viriditate illa ac nativo colore, quibus artificia ipsi naturae debita facticiis nimiaque morositate elaboratis antecellunt.

§ 233. Hinc satis ea refelluntur, ni fallor, quae apud G. Curtium leguntur, cuius supra mentionem feci: magno poëtae discrepantias, quae ei exciderint, non auferre licere certum esse; sed non minus inter omnes constare, discrepantias quasdam et magnis et parvis poëtis esse vitandas, cum admissis iis poëtae esse desinerent; tales discrepantias documento esse, non uni, sed pluribus poëtis opus deberi, easque patefecisse haud mediocri laudi esse ducendum.[2])

Immo, si quid video, sic potius dicendum erat: in carminibus sine scriptoria supellectile confectis ne graviores quidem discrepantiae ullius momenti sunt, neque est, cur eas mireris, vel etiam in iis offendas: multum vero abest, ut ex dissonis plurium poëtarum studiis eas fluxisse necesse sit, utpote quae non ex epicae narrationis dictionisve variatione, quae opus pluribus auctoribus deberi signo est,

[1]) Cf. G. Curtius, Andeutungen über den gegenwärtigen Stand der homerischen Frage in: Zeitschrift für österr. Gymnasien. V. Jahrg. 1854. p. 9.

[2]) Ne Curtio obtrusisse dicar, quae non dixerit, eius sententiam totidem verbis transscribam. L. l. p. 9: „Dass ein grosser Dichter Widersprüche, die ihm entschlüpft sind, stehen lassen darf, ist gewiss; aber eben so unzweifelhaft ist es, dass es Widersprüche giebt, die sich weder ein grosser noch ein kleiner Dichter zu Schulden kommen lassen kann, weil er sonst kein Dichter wäre. Solche Widersprüche sind dann eben Kriterien, dass wir es nicht mit dem Werke eines, sondern mehrerer Dichter zu thun haben. Sie aufzudecken wird ein grösseres Verdienst sein, als in grosssprecherischen Redensarten über die Arbeiten von Männern abzuurtheilen, deren Verdienst auf festerer Grundlage ruht, als auf den flüchtigen Einfällen eines schwärmenden Touristen und der in Heidelberg ausgeheckten Pelasger-Philisterhypothese.“

qua tamen Iliadem et Odysseam vacare ne Wolfius quidem negat,[1]) sed ex unius poëtae erroribus memoriaeque lapsibus originem duxerint, qui ex humanae memoriolae imbecillitate abunde explicantur; tantum vero abest, ut discrepantiarum illarum investigationi ulla laus debeatur, ut ad ipsam rem prorsus nullum inde redundet emolumentum.

§ 234. Probe igitur tenendum est naturali quadam necessitate fieri, ut epopoeiis ex ultima antiquitate oriundis multae et magnae discrepantiae inhaereant, magnamque earum partem iam ab ipso poëta, ut ita dicam, iis ingenitam esse. Unde efficitur, ne tum quidem, si poëmata homerea intacta, integra, quasi a partu recentia ad nostram aetatem pervenissent, futurum fuisse, ut multarum discrepantiarum accessione levarentur; neque eam rem aegre ferremus, cum sciremus, eam a vate parente filiabus tanquam dotem naturalem et necessariam additam esse, qua si carerent, patrimonio defraudatae esse ac parum patrissare dici deberent. Nunc vero universa antiquitas uno ore clamat, tempus fuisse, cum in eo esset, ut carmina homerea, ad interitum prope adducta, in particulas dilaberentur ac prorsus dissolverentur; quo periculo Solonis et Pisistrati opera liberata esse feruntur. Qua ex dissolutione ac paene naufragio vix dici potest quantam pristinae integritatis incolumitatisque iacturam ea acceperint, quantumque inde ceperint damnum.[2]) Ipsum autem discrepantiarum numerum, qui statim ab initio sat magnus fuisse putandus est, quantopere auctum esse dicamus diversis Homeridarum rhapsodorum diasceuastarum studiis, quos aut fortuito aut dedita opera multa variasse credibile est! Quo minus vero vexatissimis Homeri carminibus ab iniquissimo fato temperatum est, eo magis verecundum pudorem et anxiam curam Pisistratidarum admirabimur, qui disiecta illorum membra ex naufragio servata collegerunt et ita refecerunt, ut haud ita sui dissimilia ad aetatem nostram pervenirent.

§ 235. Ac ne illud quidem in discrepantiarum disquisitione, quae novissimis temporibus tantopere flagravit, praetermittendum esse censeo, ipsos Graecos aetatibus antealexandrinis — nam ab Alexandrinis demum mirificus carminum homericorum concentus, quem Wolfius vocat, in dubium vocari coeptus est — de carminum illorum discrepantiis ne somniasse quidem. Quemadmodum enim, pia quadam religione imbuti, Iliadem et Odysseam ab uno eodemque Homero originem accepisse credebant: ita ipsa carmina tam unica unitatis et congruentiae exempla iis videbantur esse, ut, si quis inaequalitates et discrepantias in iis odorari voluisset, eum nescio an delirare putaturi fuerint. Atqui Graecos illos, Solonis Pisistrati Periclis aequales, emunctae naris homines subtilissimosque in hoc genere existimatores fuisse inter omnes constat, ut quorum ingenia praeclarissimorum cuiusvis generis artificiorum aspectu et usura ad iudicandi elegantiam exacui nunquam desita sint. Ne illis concinnitatis et convenientiae gustatus in medullis ac visceribus tantopere infixus haesit, ut, quidquid delicatissimo eorum fastidio non displicuit, id

[1]) Praef. II. p. XXI e. q. s. Ipsum locum totidem verbis transscripsi § 148 adn.

[2]) Haec pridem scripseram, cum in manus meas pervenit Friedländeri libellus „die homerische Kritik von Wolf bis Grote“, ubi p. 21 similia leguntur.

nobis sat probari posse crediderim. Sed ne tum quidem, si discrepantias quasdam in carminibus homericis deprehendissent, futurum fuisse arbitror, ut ab hominibus elegantissimis quicquam iis tribueretur, cum iis iudicibus leves labeculae carminibus aspersae prae splendidissimis earundem virtutibus prorsus evanescerent. Avidissimum vero discrepantiarum aucupium vel captationem, qualis nostris temporibus usu recepta est, vereor ne sacrilegium potius quam vesaniam rati fuissent.

§ 236. Quae cum ita sint, omnibus illis discrepantiis, quas recentiores critici ex Homeri carminibus multo sudore et labore eruerunt, adeo nihil tribuo, ut ne gravissimae quidem repugnantiae, quae bonis istis tantum negotii facessiverunt, ullius momenti esse mihi videantur. Quo pertinet, quod in alterius pugnae iliacae descriptione tempore meridiano [1]) conversio proelii facta esse narratur, deinde vero, quattuor milibus versuum interiectis, quibus pugna muralis, portae expugnatio, Neptuni intercessio, Iunonis fallacia in Iovem intenta, Iovis ex somno experrecti interventus, Troianorum in fugam inclinatio, pugna circa Aiacis navem coorta, Achillis precibus patrocleis obtemperatio, Patrocli Myrmidonumque apparatus bellicus, denique haud exigua pugnarum Patrocli pars enarrantur, iterum meridies esse atque sol in medio caelo consistere dicitur;[2]) eodem pertinet, quod Patroclus, in undecima rhapsodia ad rerum statum explorandum ab Achille adlegatus ab eodemque ad festinandum instigatus, ut dicto audiens est, paene anhelo cursu avolat, idem tamen, maturato opus esse prorsus oblitus, inter muralem Hectoris pugnam interque tot varias proeliorum vicissitudines, ad quas enarrandas quattuor rhapsodiis, et iis longioribus, opus est, in Eurypyli tentorio tempus fallit, deinde vero, ad Achillem, cuius missu mandatuque abierat, reversus, non modo non nuntium refert, sed ne mentionem quidem mandati sui facere operae pretium ducit. Omnes has similesque discrepantias, inquam, non flocci facio. Sed quoniam de hac re semel mentio incidit, pluribus verbis in ea commorari non pigrabor.

§ 237. Atque minimi momenti eas discrepantias esse arbitror, quae ad actionis loca et tempora pertinent. In Iliade autem, ut in ea persistam, in universum quidem locorum lineamenta ubique servantur, ita videlicet, ut loca maxime insignia et conspicua firme teneantur, neque usquam moveantur aut translocentur: dico navalia Graecorum castra muro circumdata, fossam intervallo quodam ab iis separatam, campum troianum post eam late patentem. Sed in pugnae muralis descriptione singula inter se confunduntur, nec desunt discrepantiae; quo illud potissimum pertinet, quod in medio muro porta exstructa esse perhibetur [3]) — ea ipsa est, quam Hector saxo discutit [1]) —, quam unam solam fuisse poëta fidem facit,[2]) necopinato autem in sinistra parte, quo Asius progreditur, in alteram portam incidimus, quae aperta fuisse narratur.[3]) Cuius cum alibi nusquam mentio fiat, hic locus ceteris omnibus, ut quibus una dumtaxat porta commemoretur, aperte repugnat. Quae cum ita sint, Lachmannus totum hunc locum interpolationi deberi sibi persuasit;[4]) neque desunt, qui suspicentur [5]) ad discrepantiam illam tollendam M 175—180, ubi plurium portarum mentio fit, quos quidem versus iam ab Aristophane et Aristarcho repudiatos esse scimus, ab interpolatore quodam esse additos. At his similibusque discrepantiis nihil tribuo, ut dixi. Quanquam enim poëta, qui ipse singulorum locorum regionumque situm cogitatione sibi finxit, imaginem locorum in animo quasi insculptam habet et mordicus adeo tenet, ut in eorum descriptionibus in universum sibi constare possit, tamen longe alia est ratio rhapsodorum, qui, cum loca regionesque minus cogitatione et mente complectantur, vix cavere possunt, ne „topographiam“, quam Graeci dicunt, conturbent, singula inter se confundant, denique gravioribus discrepantiis erroribusque se irretiant.

Homerica „topothesia“ autem in universum adeo sibi constat, et discrepantiarum, quibus laborat, quanquam carmina homerea per tot saecula sola memoriae vi conservata sunt, tam mira est paucitas, ut contra Lachmannum adseverare ausim, eam, nisi unum carminum illorum auctorem fuisse statuerimus, explicari non posse.[6])

§ 238. Neque alia est ratio earum discrepantiarum, quae ad actionis epicae tempora pertinent. Neque enim fieri potuit, ut temporum rationes, etiamsi singulari poëtae beneficio initio aptissime inter se congruerent, saeculis progredientibus integrae manerent atque intactae; immo, cum carmina homerica rhapsodorum arbitrio obnoxia essent, necesse erat rationes illas sensim et paulatim misceri perturbarique ac pristino concentu privari; quam rem tenentibus nobis ne infinitus quidem ille dies, quo sol in caelo quasi defixus est, mirus esse, immo faciles explicatus habere videbitur. Poterant, ut hoc utar, loco aliquo nonnulli versus, quibus solis occasus, proelii intermissio, quies nocturna, solis ortus, denique instauratio pugnae brevissime significata erant, rhapsodorum neglegentia praetermitti et e textu excidere. Quod factum esse si statuerimus — et quidni statuamus? —, omnis difficultas statim tolletur. Ac talium neglegentiarum, lapsuum memoriae aliorumque errorum numerum procedente tempore non deminui, sed augeri debuisse si reputaverimus, non erit quod miremur in Iliadem nostram, quae ex tot periculis ac paene naufragio aegre enataverit, tot temporum discrepantias irrepsisse. Qua in re plurimum peccavisse consentaneum est rhapsodos, qui vix dici potest quantum ad carmina homerica immutanda transfiguranda deformanda

---

1) Λ 86: ἦμος δὲ δρυτόμος περ ἀνὴρ ὡπλίσσατο δεῖπνον κτέ.

2) Π 777: ὄφρα μὲν Ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει. De utriusque loci discrepantia cf. praeter editores: H. Bonitz, über den Ursprung der homerischen Gedichte. Wien, Carl Gerold. 1872. p. 26 e. q. s. cum adn. 71. Schömann in: Jahns Jahrb. 1869. p. 18. Lehrs, Aristarch. p. 123. A. Kiene, die Chronologie der Ilias, in: Jahns Jahrb. 1883. p. 161—166.

3) N 312. N 683.

1) M 445—471.

2) H 438. 439.

3) M 120 e. q. s.

4) Betrachtungen über Homers Ilias p. 46. Cf. Friedländer, die homerische Kritik von Wolf bis Grote p. 79.

5) Cf. Friedländer ibid. Lachmann p. 46.

6) Eadem fere est sententia Friedländeri: die homerische Kritik p. 49.

valuerint, praesertim si unus aliusve eorum, quod ipse praeclarus poëta esse sibi videretur, Homero sui ingenii fetus obtrudere et cum germana maeonii vatis prole miscere non erubuit. Sed, etiamsi omni ingenio carebant, periculum erat, ne, si qui obtusiore animi acie erant, sescentis ineptiis, quin nimia germani textus conservandi anxietate eum corrumperent et vitiarent.[1])

§ 239. Ergo ex iis, quae disputavi, efficitur, carmina epica, quae soli rhapsodorum memoriae salutem debeant, discrepantiis non posse vacare, minimi autem momenti eas discrepantias esse, quae ad loca et tempora pertineant, iisdemque adeo nihil tribuendum esse, ut stultitiae insimulandus esset, si quis propter eas de carminum illorum unitate dubitaret et ad Lachmanni doctrinam confugeret. Iis demum discrepantiis aliquid tribuendum est, quae ad ipsam actionem epicam pertinent, quaeque ita comparatae sunt, ut rerum continuatio seriesque iis turbetur vel etiam tollatur:[2]) quae quo cumulatius in poëmate aliquo reperiuntur, eo magis de eius unitate est dubitandum. Carminum homericorum autem actio epica in universum adeo sibi constat, ac fere omnes eius partes tantopere inter se congruunt, ut discrepantiae, si quae ei inhaerent, prae mirabili eius ad concinnitatem perfectione ad nihilum paene recidant, dummodo, quam unice veram harum quaestionum rationem esse semel atque iterum dixi, carmina illa non ex singulis et exiguis rebus (sunt autem discrepantiae istae et singulae et exiguae), sed ex universo eorum statu et habitu aestimemus.

§ 240. Venio nunc ad ultimum idemque gravissimum argumentum, quod contra discrepantiarum homericarum venatores, qui prava sua doctrina hodie publice se iactant, adferre licet; cuius pondere nisi boni isti opprimentur corruentque, nunquam corruent: dico discrepantias quasdam, quae in recentiorum poëtarum operibus deprehenduntur, quae quidem tantae sunt tamque graves, ut repugnantiae istae, quae ex Homero adferuntur, prae iis paene nullae sint.

Qua in re imprimis respici debebunt poëtae scenici, utpote quibus cum antiquissimis poëtis epicis communitas quaedam intercedat, cum utrique auditoribus, non lectoribus opera sua destinent. Proficiscor autem, ut par est, a poëtarum scenicorum principe, Shakspeario.

Atque ingens ac primo obtutu paene incredibilis discrepantia deprehenditur in eius dramate, quod inscribitur „Macbeth."[3]) Etenim ineunte actu tertio Banco, paulisper ipse secum collocutus, a Macbetho rege, qui cum comitatu in scena apparet, ad opiparas epulas invitatur. Quo digresso Macbethus ceteros omnes dimittit et ad septimam horam (i. e. ad vesperum) usque ex sua quemque libidine tempore uti iubet, cum addat, se ipsum sine arbitris esse velle.[4]) Duplex scena, quae iam sequitur, ubi sicarii a Macbetho ad Banconis caedem patrandam conducuntur, et rex cum uxore colloquitur, temporis

---

[1]) Cf. Friedländer, die homerische Kritik p. 48.

[2]) Ibid. p. 50.

[3]) Hanc discrepantiam odoratus est et palam fecit Jaeger Coloniensis „Ein instructiver Widerspruch" in: Jahns (Masius') Neue Jahrbücher. 1867. p. 393 e. q. s.

[4]) Macbeth 3, 1: Let every man be master of his time | Till seven at night e. q. s.

intervallum, quod inter meridiem et vesperum intercedit, explet. Quam accuratissime autem occisionis illius tempus significatur, cum ex altero percussorum audiamus, eam paulo prius quam advesperasceret factam esse.[1]) — Sequitur scena illa epularis, quae eo ipso tempore, quo in silva vicina Banconis caedes perpetratur, initium capit, paulo post autem interventu umbrae Banconis inter medios convivas apparentis interpellatur. Discedunt convivae; remanet cum uxore Macbethus, cui quota hora sit interroganti illa respondet diem illucescere.[2]) En discrepantia, qua gravior cogitari potest nulla: epulis vespertino tempore inceptis brevique post interruptis necopinato appetit dies!

Temporis perpetuitas igitur hoc loco tam violenter interpellatur turbaturque, ut lacuna ingens vehementerque hians nascatur, ad quam explendam vel exaequandam poëta ansam praebet nullam. Et discrepantia tam ingens deprehenditur in dramate, quod poëta omni cogitatione pertractavit, diligentissime limavit perpolivitque, denique ad summam perfectionem adduxit, quod et litteris mandatum et sescentiens litterarum formis descriptum forasque datum est, cuius singulae partes, ut ab actoribus ediscerentur, miliens descriptae sunt, quod denique sescentiens doctum, sescentiens editum, sescentiens a commentatoribus explicatum est! Neque quisquam unquam discrepantiam illam animadvertit, nedum in ea offendit; quid? quod Delius, eruditissimus ille Shakspearii editor et interpres, in lubrico isto loco adeo non haesit, ut iis, quae antecedunt, eum repugnare ne adnotaverit quidem. Quo igitur in tantis rerum angustiis confugiemus? An Shakspearium dormitasse credemus, interque somnum discrepantiam istam ei esse elapsam? Sed cur tandem haec halucinor? De talibus difficultatibus aut nemo consulendus audiendusque est aut praeclari aetatis nostrae critici, qui in his rebus oraculi instar habendi sunt. Quid igitur docebunt illi? Captiosa illa verba videlicet interpolata esse et histrioni alicui deberi, qui palmari poëtae dramati misellum pannum adsuere non erubuerit. Quid? Nonne agnoscis summam summorum criticorum sagacitatem?

§ 241. Altera, neque ea minus gravis, discrepantia invenitur in fabula Shakspeariana, quae Hamlet inscribitur,[3]) in cuius primo actu Hamleto patris a successore occisi umbram apparuisse constat, quacum, horrore perfusus, ille colloquitur, cuiusque impulsu patris caedem ulcisci statuit. Sed paulo post illud cum patre colloquium prorsus oblitus videtur esse, cum de terra incomperta loquatur, unde nemo viator unquam redeat.[4]) Quid? Poëta britannus nonne inter se pugnantia adversis frontibus componit? Hamletus scilicet suis oculis ipsum patrem conspicatus est ab inferis reversum; cum eodem sat

---

[1]) Macbeth 3, 3: 1. Murd.: The west yet glimmers with some streaks of day: | Now spurs the lated traveller apace, | To gain the timely inn.

[2]) Macbeth 3, 4: Macb. What is the night? — Lady Macb. Almost at odds with morning, which is which.

[3]) Cf. Grosz, „Noch ein instructiver Widerspruch" in: Jahns (Masius') Neue Jahrbücher. 98. Band. p. 471 e. q. s.

[4]) Hamlet 3, 1: Who would these fardels bear, | To grunt and sweat under a weary life, | But that the dread of thomething after death, — | The undiscover'd country, from whose boarn | No traveller returns, — puzzles the will, | And makes us rather bear those ills we have, | Than fly to others that we know not of?

diu confabulatus est. Et nihilo tamen setius nunc pro certo negat quenquam unquam redire posse, si semel mortem obierit. Ne haec manifesta est discrepantia, qua eadem opinio vulgi laborat, quod, ut superstitionibus obnoxium est, nescio quae sepulcrorum terriculamenta perhorrescit mortuorumque umbris et larvis terretur, idem vero vehementer dolet, quod nemo mortuus illinc reversus nos vivos de loco sedibusque defunctorum certiores faciat.

Vix levior discrepantia Schillero nostro elapsa est in dramate, quod Don Carlos inscribitur. Quae discrepantia quanquam apud omnes pervulgata est, tamen facere non possum, quin eius memoriam refricem. Iuvenis regius igitur ea in scena, ubi cum nobili ex cohorte regia puero colloquitur, se nihil unquam legisse adfirmat, quod regina scripserit, neque eius manum se nosse;[1]) quorum verborum prorsus immemor postea amicum, cui epistularum scrinium tradidit, unam ex iis reposcit, eam scilicet, quam olim aegrotanti sibi regina Alcalam miserit; eam semper in sinu se gestasse.[2]) Quae quam vehementer inter se pugnent, vel caeco apparet.

Altera discrepantia Schillero excidit in prima trilogiae parte, quae „Wallensteins Lager“ inscribitur, in cuius altera scena excubitorum praefectus cum tubicine confabulans non sine causa militibus duplex stipendium datum esse ait[3]), in undecima scena autem idem tubicen queritur abhinc XL hebdomades stipendium semper nequiquam esse promissum.[4])

Ac de poëtis scenicis hactenus. Sed ne alios quidem poëtas contra tales memoriolae lapsus satis munitos esse documento est Kinkelii carmen, quod „Otto der Schütz“ inscribitur, ubi adulescens lintrem, qua se non egere ait, in maris undas protrudit,[5]) postea vero eadem lintre per aequora vehi dicitur.[6])

§ 242. Quorsum haec disputo? Ut Homeromastiges nostrae aetatis intellegant, quam acerbam iniuriam inferant „bono Homero.“ Etenim carmina eius propter discrepantias, quae fere omnes aut minimi momenti aut prorsus nullae sunt (poëtam ex poëtae modulo aestimo), dissecantur mutilanturque; sicubi quid dissonum quiddam redolere videtur, statim toti loco obelus appingitur; vel levissima suspicio ad totos locos eiciendos sufficit. Homerum igitur Homeromastiges nostri paene iugulant propter memoriae lapsus, quos sanus criticus non flocci facit. Qua poena autem, quaeso, Dracones isti recentiores poëtas — Shakspearios Schilleros Kinkelios — adficient,

---

1) Don Carlos 2, 4: Noch hab' ich nichts von ihrer Hand gelesen.

2) Don Carlos 4, 5: Gieb mir die Briefe doch noch einmal. Einer | Von ihr ist auch darunter, den sie damals, | Als ich so tödtlich krank gelegen, nach | Alcala mir geschrieben. Stets hab' ich | Auf meinem Herzen ihn getragen. Cf. Hiecke, über die Einheit des ersten Gesanges der Ilias. p. 7.

3) Wallensteins Lager, Auftr. 2: Meinst du, man hab' uns ohne Grund | Heute die doppelte Löhnung gegeben?

4) Das. Auftr. 11: Hat man uns nicht seit vierzig Wochen | Die Löhnung immer umsonst versprochen?

5) 2. Abenteuer g. d. E.: Dich brauch' ich nicht! so ruft er munter, | Treib' du mit Glück ins Meer hinunter!

6) 5. Abenteuer: Es wiegte sich im leichten Kahn | Dort Otto auf der Spiegelbahn. Cf. Ameis in appendice ad Iliad. I, 424.

qui multo gravius peccavisse putandi sunt quam Homerus? Nam penna armati opera sua elaboraverunt librumque manuscriptum inter scribendum prae se habuerunt, quo adhibito de rebus antegressis certioribus fieri et discrepantias vitare iis licebat. Sed ne sic quidem vitaverunt. Huc accedit, quod ea ipsa Shakspearii et Schilleri dramata, in quibus discrepantiae istae deprehenduntur, ex meditatissimis sunt, quippe quae particulatim ac paene syllabatim perpenderint, diligentissime pertractaverint cogitandoque persecuti sint. Et nihilo tamen minus tantas discrepantias inrepere siverunt. Quid inde sequitur? Nihil aliud, opinor, nisi eos, si praeclari cuius inventi in mentem iis venisset, quo auditores excitare et inflammare posse sibi viderentur, prae invento isto omnia cetera neglexisse deque discrepantiis, quae inrepere poterant, unice securos fuisse. Ad quas si quis amicus criticusve auribus vellicatis eorum animos advertere ausus esset, credo eos rogaturos fuisse, ut tales quisquilias sibi haberent. Scilicet auditores suos probe norant, sciebantque, eorum animos singulari poësis vi adeo inflammatum iri, ut res alienae, nedum tales „discrepantiunculae“ minime curae iis essent futurae; rationem criticam autem, cui philologi nostri addicti sunt, quae tota in scrupulis excitandis et discrepantiis odorandis versatur, si cognossent, ne intellexissent quidem.

Nihil igitur obstaret, quominus huius quaestionis finem facerem, nisi necesse esse mihi videretur insignibus quibusdam exemplis demonstrare, quam ingenti, ne dicam horrifico incremento obelos Homero appingendi studium et athetesium aviditas saeculo nostro aucta sint. Quo quidem consilio duas Iliadis rhapsodias — sextam decimam et septimam decimam — accuratius perlustrabo, ita quidem, ut gravissimas recentiorum criticorum atheteses deinceps significem.

§ 243. Atque in rhapsodia sexta decima, ut hinc ordiar, atheteses occurrunt hae:

v. 60—79 obelo notavit Koechly.
v. 69—73 eiecit Bergk.
v. 69—79 reiecit Nitzsch.
v. 69—82 ut subditicios sprevit Düntzer.
v. 70—73 eicit Nägelsbach.
v. 84—86 obelo notaverunt Nägelsbach, Jacob, Düntzer, Nitzsch, Bergk.
v. 91—96 in suspicionem vocarunt Nitzsch et Düntzer.
v. 97—100 iam ab Aristarcho reiectos omnes recentiores critici praeter Naegelsbachium subditicios esse censent.
v. 102—111 reiecit Haupt.
v. 102—113 exsilii damnavit Benicken; eosdem versus posteriore tempore additos esse censent Franke et Düntzer.
v. 134, v. 140—144, v. 145—154, v. 167 } Bergkio iudice a diasceuastis inserti sunt.
v. 152—154 in suspicionem vocaverunt Lachmann, Franke, Düntzer, Bergk.
v. 168—197 aspernati sunt Köchly et Bergk.
v. 198—211 repudiavit Düntzer.
v. 218—258 idem Düntzerus interpolatos esse censet.[1]

---

1) Achillis preces Düntzero ineptissimae („höchst albern“) videntur esse! At II 237 ei nullam praebet offensionem: de Zenod. stud. 170 et in: Zeitschr. für das Gymn.-Wesen (Mützell). XIV. p. 338.

v. 244. 245 expunctos vult Köchly.
v. 259—277 a rhapsodo vel diasceuasta quodam insertos esse arbitratur Hentze.[1])
v. 283 reiecerunt Lachmann, Naber, Hoffmann, Köchly, Düntzer.
v. 284—302 ab interpolatore quodam immutati esse videntur Hoffmanno.
v. 303—376 interpolatos esse censet idem.
v. 358—363 repudiavit Düntzer.
v. 367—371 exterminatos vult Naber.
v. 367—369 }
v. 372—376 } reiecit Köchly.
v. 372—376 ut subditicios sprevit Franke.
v. 364—393 in suspicionem vocavit Schütz.
v. 394—418 ut interpolatos repudiaverunt Koechly, Franke, Hercher.
v. 411—414 reiecit Düntzer.
v. 415—418 removendos esse censet Friedländer.
v. 432—458 a diasceuastis insertos esse statuunt Lachmann, Düntzer, Schütz, Bergk, Bernhardy, Koechly, Franke.
v. 467—477 reiecerunt Lachmann, Franke, Bergk, Düntzer.
v. 494—497 textui subiecit Köchly.
v. 503—507 exterminandos esse censet Hentze.
v. 505—507 reiecit Nauck.
v. 506. 507 spreverunt Grashof, Düntzer, Hoffmann.
v. 509—531 repudiaverunt Lachmann, Franke, Ribbeck, Köchly, Schütz, Bergk, Hoffmann.
v. 555—562 removendos esse censent Lachmann, Ribbeck, Franke, Köchly, Düntzer (in editione).
v. 567. 568 in suspicionem vocarunt Jacob et Düntzer.
v. 593 e. q. s. diasceuastae deberi censet Bergk.
v. 611—615 duplicem „recensionem“ continere creduntur.
v. 632—697 ab interpolatore quodam partim insertos, partim immutatos esse suspicatur Hentze.
v. 666—683 diasceuastis deberi censent Lachmann, Köchly, Bergk, Bernhardy, Düntzer, Franke, Schütz.
v. 698—711 in suspicionem vocaverunt Lachmann, Bernhardt, Bergk, Düntzer, Franke; e textu expulit Köchly.
v. 727—731 exsilii damnavit Bernhardt („ein den Zusammenhang störendes, unpassendes Einschiebsel“).
v. 777—779 exterminavit Köchly.
v. 777—782 reiecerunt Kiene et Naber; diasceuastae attribuit Bergk.
v. 793—805. 814. 815. 846 exterminaverunt Lachmann, Franke, Köchly, Düntzer (unum v. 805 interpolatum esse negat Köchly).
v. 847—850 eiecerunt Düntzer, Naber, Bernhardt.
v. 800—804 }
v. 846—850 } eiciendos esse censet Naber.
v. 846. 850 repudiaverunt Lachmann et Nauck.

Inter sextae decimae rhapsodiae exitum et septimae decimae exordium hiatum sat apertum intercedere opinatur Bernhardy.

Quodsi omnes hos versus, quos recentiores critici impugnare ausi sunt, ad calculos vocaverimus, eorundemque summam de omnium versuum summa, quos sexta decima Iliadis rhapsodia continet, detraxerimus, efficitur ex 867 versibus, qui hac rhapsodia continentur, 330 fere versibus ab hominibus criticis temperatum esse. Ecce deletrix Homeromastigum industria!

§ 244. Restat, ut atheteses colligamus, quas septimae decimae rhapsodiae appinxerunt homines critici.

v. 101—124 eiciendos esse censet Bernhardt, cui, antequam interpolator se interponeret, Π 860 et P 125 inter se excepisse videntur.

---

[1]) Hentzii, viri in obelis ponendis cautissimi parcissimique, ideo tantum mentionem feci, ne hic athetesium index mancus esse dici posset.

v. 1—60 accessionem interpolatori debitam esse statuunt Ribbeck et Jacob.
v. 184—219 interpolatori deberi statuit Naber.
v. 129—262 Bergkio iudice diasceuastae debentur.
v. 198—209 reiecit Düntzer.
v. 197—209 spurios (sic!) esse suspicatur Nauck.
v. 236—262 obelo notavit Hoffmann.
v. 237—261 „ „ Bernhardt.
v. 233—262 „ „ Naber.
v. 249—251 „ „ Düntzer.
v. 260. 261 „ „ Düntzer (auctore Zenodoto).
v. 260. 261 „ „ Köchly.
v. 259—261 „ „ Nauck.
v. 262—273, perpetuo interpolationis tenore servato, una cum v. 237—261 interpositos esse censet Bernhardt.
v. 260—273 prioribus curis reiecit Düntzer; posteriore cura (in editione) in v. 272 e. q. s. obelo notandis adquievit ille, quos eosdem repudiavit van Herwerden.
v. 268—273 interpolatoris industriam redolere sibi persuasit Hentze.
v. 273 condemnat Schütz, e textu eicit Köchly.
v. 274—287 interpolatos esse censet Hoffmann.
v. 319—383 obelo notavit Naber.
v. 360—365 reicit Düntzer (in editione; v. 364 e. q. s. auctore Zenodoto).
v. 366—423 repudiavit Lachmann; cui athetesi album calculum adiecerunt Düntzer, Ribbeck, Franke.
v. 373—383 (vel certe 377—383), v. 384—388, insuper v. 400—425 exterminatos vult Schütz.
v. 377—388 }
v. 400—593 } e textu expulit Köchly.
v. 377—388 reiecit Bergk.
v. 400—411 repudiarunt Lachmann et la Roche.
v. 412—425 eiectos voluit Bekker.
[v. 404—425 Zenodotus, v. 420—423 Aristarchus, ut videtur, obelo notaverat].
v. 424—542 aspernati sunt Köchly, Bernhardt, Schütz, Naber; diasceuastae adsignavit Bergk.
v. 545. 546 reiecerunt Lachmann, Franke, Bekker, Düntzer.
v. 543—592 exsilii condemnaverunt Friedländer, Köchly, Schütz, Bernhardt, Ribbeck.
v. 593—650 prioribus curis expulsos voluit Düntzer; posteriore tempore athetesim intra v. 626—650[1]) coërcuit.
v. 605—625 interpolatoris cuiusdam curae deberi censuit Naber. Iidem versus aliis offensioni fuerunt.
v. 612—616 spurios (sic!) esse iudicat Nauck.
v. 645—647 Naberio intolerabiles esse visi sunt.
v. 637—716 interpolatos esse censet Bernhardt, accessionem diasceuastae debitam iudicat Bergk.
v. 723: ἐπὶ δ' ἴαχε — v. 736: ἔπι γλαφυρὰς accessio posteriori curae debita videtur esse Frankio.
v. 725—741 e textu eiecit Köchly, rhapsodo cuidam deberi censet Düntzer.[2])

Ex 761 versibus igitur, quos rhapsodia P continet, intacti inviolatique manserunt hi:

v. 125—128
v. 288—318
v. 717—722
v. 742—762

Ergo habemus, cur Menelao congratulemur, utpote cuius aristeam homines critici ita disciderint, ut fere ad nihilum redacta sit; nam

---

[1]) „Wegen des wunderlichen Nebels“ hos versus reiecit.
[2]) Hom. Abhandl. p. 490.

miserae istae reliquiae, quibus temperatum est, paene nullae sunt. Causae autem, quibus commoti obelos suos appinxerunt, magna ex parte tantopere in minutiis versantur, adeoque nihil valent, ut eas refutare supersedere liceat. Quae cum ita sint, critici illi iterum ac saepius admonendi sunt, magnos poëtas, ut supra iam dixi, non tam ex talibus minutiis quam ex perpetuitate atque constantia esse spectandos.

Hac velut prolusione viam mihi munivi ad alterum huius operis volumen, quo recentiorum recentissimorumque criticorum studia homerica ad obrussam exigere mihi proposui.

INDEX

litterarum ordine dispositus.

A.

B.

C.

D. Δ.

B.

C.

D. Δ.

E. E.

F.

G.

H.

§ 151. Alterum studiorum homericorum stadium ingressus, Hermannus largitur non deesse, unde doctrina de Homeridarum familia a Wolfio proposita commendetur; eidem tamen obstare docet tria argumenta sat firma: materiae epicae in exiguum gyrum coartationem, epicae poësis post Homerum interitum, denique magnam poësis homericae per omnem Graeciam auctoritatem; quae argumenta accuratius examinantur: § 152—156. Hermannus inter geminam condicionem incertus fluctuat: utrum unus poëta longum poëma composuerit, an plures poëtae minora carmina amplificaverint collegerintque; quarum sententiarum utri adstipulari malint, lectoribus quasi optionem facit: § 157. Idem docet: in carminibus homericis tria partium genera inter se diversissima manifesto posse internosci, eaque ex antehomericis, homericis, posthomericis mixta esse; quae quorsum dicta sint, explicatur: § 158. Illam carminum colluvionem a correctoribus quibusdam retractatam, circumcisam ad unitatemque quandam redactam esse statuit Hermannus: § 159. Qualis farrago unde praeclarum illum concentum nancta sit, quem miris laudibus Hermannus praedicat, parum liquet: § 159.

Herodotus rerum universitatem complectebatur, cum logographi initio saltem contractissimis cancellis circumscripti essent; idem a singulorum oppidorum annalibus ingentem progressum fecit ad universalem, quae dicitur, historiam: § 163.

Hesiodiorum carminum rhapsodi commemorantur a scholiasta Pindari: § 3.

Heyne, Christianus Gottlobus, in Prolegomenorum Wolfianorum censura tecte significavit Wolfium suis (Heynii) praelectionibus ad ea conscribenda esse excitatum: § 124 adn.

Hipparchus Platone teste edixit, ut rhapsodi Panathenaeis Homeri carmina ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς recitarent: § 15. Quod cum fecit, edicti solonei memoriam refricuit indicemque a Solone confectum supplevit: § 22.

Hoffmann, Carolus Augustus Iulius, in libro, qui „quaestiones homericae“ inscribitur, subtilissimas de rebus grammaticis et metricis quaestiones instituit, sed, cum nimis in minutiis versaretur, ipsi de unitate homerica quaestioni vix quicquam lucis attulit; distinxit autem sex carminum iliacorum aetates: § 132.

Homeridae duce et auspice Homero poësis epicae studio operam navabant eiusque carmina publice recitabant: § 1. Iidem carminum homericorum tanquam conservatores habendi sunt; primum in insula Chio, deinde aliis locis artem suam exercebant; ab Homero originem duxisse feruntur; familia eorum certa quadam disciplina utebatur: § 2. In carminum homericorum gyro se continuerunt, qua re differebant a rhapsodis; eorum familia antiquissimum et honoratissimum rhapsodorum genus est habenda; pauca de iis traduntur; Parthenius et Cynaethus, Homeridae: § 3. Homeridae rhapsodique splendido ornatu, qualis in Platonis „Ione“ describitur, induti carmina homerea publice recitabant: § 4. Per multa saecula in publicorum acroamatum campo unice dominati, deinde vero citharoedos, poëtas dithyrambicos aliosque artifices aemulos nancti, Homeridae rhapsodique paulatim in breviorem gyrum compulsi et in epopoeiarum homericarum particulis recitandis adquiescere conati sunt: § 11. 12. — Credibile est, Homeridas, ut qui artem memorialem profiterentur, tandem eo pervenisse, ut aut Iliadem aut Odysseam aut utrumque carmen memoria complecterentur: § 72.

Homeridarum rhapsodorumque, qui Wolfio iudice lineamenta ab Homero praescripta persecuti sunt, immodicum aestimatorem ille se praebuit, cum carminum homericorum conservatores, non ingeniosi poëtae existimandi sint: § 143. Homeridarum grex eodem temporis puncto, quo singula Homeri poëmata confecta erant, iis potitus est, eaque ediscere et recitare coepit: § 71. Homeridarum nemo erat, quin Homeri epopoeias totas memoriae impressas haberet: § 72.

Horographi, Herodoti prodromi: § 163.

Humboldt, Guilelmus, doctrinam wolfianam adsensu comprobavit: § 125.

I.

Ilias et Odyssea iam antiquitus corpora epica erant, et ea artificiose composita, quae festis quibusdam diebus magna auditorum frequentia uno tenore recitabantur: § 4. 5. Ad quas recitationes audiendas non ita multa plus adsiduitatis opus fuisse demonstratur quam ad Atticorum ludos scenicos spectandos: § 6—10. Homeridis rhapsodisque a citharoedis, poëtis dithyrambicis aliisque artificibus in breviorem gyrum compulsis, Ilias et Odyssea totorum corporum speciem prae se ferre desierunt in particulasque dissolutae sunt: § 13.

Incitamenta duplicis actionis epicae, quae Odyssea continetur, poëta expositioni scenicae intexuit: § 100. Alterius actionis incitamentum, quo Ulixis reditus quodammodo praeparatur, in deorum decreto cernitur, quo Calypso Ulixem dimittere iubetur: § 101. Prioris actionis incitamentum Minervae debetur, utpote quae Telemacho persuadeat, ut de patre sciscitatum Nestorem et Menelaum adeat: § 102.

Ingenii celeritas, qua Homerus excellit, praedicatur et exemplis illustratur: § 31. 32.

Ingenii vi Homerus usus est ad infirmitatem memoriae sublevandam, ita quidem, ut totas actionum epicarum perpetuitates vel series „per visiones“ imagunculis includeret, easque imagunculas in maiores imagines confunderet, quas una velut visione menti obicere poterat: § 36—50. Quibus imaginibus tanquam prototypis usus est, ad quorum exemplum poëmatum suorum membra fingeret, quae cum ad universae epopoeiae unitatem accommodata essent, sua sponte in unum corpus coaluerunt: § 53. Hodie scriptores operum suorum adumbrationes praeparatoria industria in „adversaria“ conferre consueverunt; quorum in vicem ab antiquis poëtis imagines illae sumebantur: § 54; ut quibus menti obiectis actionis progressum in memoriam sibi revocarent: § 55.

Italorum poëtae extemporales, qui „improvisatores“ vocantur, memoriae vi excellunt: § 61.

Iterata, quae in carminibus homereis sescentiens occurrunt, rhapsodis ad versus memoriae imprimendos mirifice conduxisse putanda sunt; quae iterata originem debent simplicitatis studio, cui poëta epicus indulget, quo quidem fit, ut poësis homerica a multiplici et versicolori varietate prorsus abhorreat: § 66. Quibus potissimum in rebus iterationes illae versentur, exponitur: § 67. Narrationis et dictionis simplicitate variandique parsimonia, cui iterata ista debentur, poëta rhapsodis in memoriali negotio exsequendo succurrere studet: § 68. Huc accedit, quod iterata illa rhapsodis quasi quaedam intervalla praebent, ubi paulisper respirare iis licet: § 68. Iisdem iteratis versibusque stabilibus magna voce pronuntiatis recitationis gravitas augetur: § 69. Apud Homerum iterata tam multa sunt, ut ingentem versuum summam efficiant, qua pensum memoriale rhapsodis imperatum ad multo minorem versum numerum redigitur: § 70.

K K.

Kirchhoff, Adolphus, Odysseam in varias partes pro diversa earum origine dissecuit: § 127.

Köchly, Arminius, totam Iliadem ad sedecim libros redegit: § 127.

Κτίσις Μιλήτου, Cadmi Milesii, logographi, opusculum: § 163.

L.

Lachmann Carolus, Godofredi Hermanni impulsu ad Iliadem accuratius considerandam et in „separata carmina“ dissecandam videtur excitatus esse: § 126. Idem „carminum minutulorum venatoribus“, quos Nitzschius vocat, in Homerum invadendi quasi signum dedit: § 127. Ex eius doctrina Ilias, id est XVII priores Iliadis libri — nam ceteros repudiat omnes —, ex duodeviginti fere carminibus separatis posteriore demum tempore consuta est; ignorat enim Lachmannus naturalem illam legem, qua a minoribus ad maiora, a separatis aoedorum cantiunculis ad maiores epopoeias progressus fit; nam duae epicae poësis aetates internosci debent: altera tirocinii aoedorum, altera maioris perfectionis, Homeri: § 164. Si doctrina Lachmanni, qui Homerum cum aoedis, quippe rudibus tironibus, in unam eandemque capulam conicit, vera esset, Homerus in primis artis epicae elementis haesisset, nec artis illius princeps esset, sed minutulus poëta; tota autem Graecorum poësis epica in primo statim cursus stadio interrupta esset et collapsa: § 165. Doctrinae lachmannianae vehementer refragatur universalis carminum homericorum indoles, qua rerum universitatem una comprehensione complectuntur: Homerus, poëta grandissimus, in pusillis poëmatis fabricandis adquiescere nequivit; minutulus autem poëta in poëmatio suo pertractando totus est, nec meditatio eius ultra contractissimos cancellos evagatur: § 166. 167. Neque minus doctrinae lachmannianae obstat insignis carminum homericorum unitas, quae adeo non ab aliis iis inseri potuit, ut statim ab initio ab ipso poëta iis ingenita esse existimanda sit: § 168. Si Pisistratus eiusque sodales ex separatis carminibus nostram Iliadem et Odysseam conflassent,

§ 151. Alterum studiorum homericorum stadium ingressus, Hermannus largitur non deesse, unde doctrina de Homeridarum familia a Wolfio proposita commendetur; eidem tamen obstare docet tria argumenta sat firma: materiae epicae in exiguum gyrum coartationem, epicae poësis post Homerum interitum, denique magnam poësis homericae per omnem Graeciam auctoritatem; quae argumenta accuratius examinantur: § 152—156. Hermannus inter geminam condicionem incertus fluctuat: utrum unus poëta longum poëma composuerit, an plures poëtae minora carmina amplificaverint collegerintque; quarum sententiarum utri adstipulari malint, lectoribus quasi optionem facit: § 157. Idem docet: in carminibus homericis tria partium genera inter se diversissima manifesto posse internosci, eaque ex antehomericis, homericis, posthomericis mixta esse; quae quorsum dicta sint, explicatur: § 158. Illam carminum colluvionem a correctoribus quibusdam retractatam, circumcisam ad unitatemque quandam redactam esse statuit Hermannus: § 159. Qualis farrago unde praeclarum illum concentum nancta sit, quem miris laudibus Hermannus praedicat, parum liquet: § 159.

Herodotus rerum universitatem complectebatur, cum logographi initio saltem contractissimis cancellis circumscripti essent; idem a singulorum oppidorum annalibus ingentem progressum fecit ad universalem, quae dicitur, historiam: § 163.

Hesiodiorum carminum rhapsodi commemorantur a scholiasta Pindari: § 3.

Heyne, Christianus Gottlobus, in Prolegomenorum Wolfianorum censura tecte significavit Wolfium suis (Heynii) praelectionibus ad ea conscribenda esse excitatum: § 124 adn.

Hipparchus Platone teste edixit, ut rhapsodi Panathenaeis Homeri carmina ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς recitarent: § 15. Quod cum fecit, edicti solonei memoriam refricuit indicemque a Solone confectum supplevit: § 22.

Hoffmann, Carolus Augustus Iulius, in libro, qui „quaestiones homericae" inscribitur, subtilissimas de rebus grammaticis et metricis quaestiones instituit, sed, cum nimis in minutiis versaretur, ipsi de unitate homerica quaestioni vix quicquam lucis attulit; distinxit autem sex carminum iliacorum aetates: § 132.

Homeridae duce et auspice Homero poësis epicae studio operam navabant eiusque carmina publice recitabant: § 1. Iidem carminum homericorum tanquam conservatores habendi sunt; primum in insula Chio, deinde aliis locis artem suam exercebant; ab Homero originem duxisse feruntur; familia eorum certa quadam disciplina utebatur: § 2. In carminum homericorum gyro se continuerunt, qua re differebant a rhapsodis; eorum familia antiquissimum et honoratissimum rhapsodorum genus est habenda; pauca de iis traduntur; Parthenius et Cynaethus, Homeridae: § 3. Homeridae rhapsodique splendido ornatu, qualis in Platonis „Ione" describitur, induti carmina homerea publice recitabant: § 4. Per multa saecula in publicorum acroamatum campo unice dominati, deinde vero citharoedos, poëtas dithyrambicos aliosque artifices aemulos nancti, Homeridae rhapsodique paulatim in breviorem gyrum compulsi et in epopoeiarum homericarum particulis recitandis adquiescere conati sunt: § 11. 12. — Credibile est, Homeridas, ut qui artem memorialem profiterentur, tandem eo pervenisse, ut aut Iliadem aut Odysseam aut utrumque carmen memoria complecterentur: § 72.

Homeridarum rhapsodorumque, qui Wolfio iudice lineamenta ab Homero praescripta persecuti sunt, immodicum aestimatorem ille se praebuit, cum carminum homericorum conservatores, non ingeniosi poëtae existimandi sint: § 143. Homeridarum grex eodem temporis puncto, quo singula Homeri poëmata confecta erant, iis potitus est, eaque ediscere et recitare coepit: § 71. Homeridarum nemo erat, quin Homeri epopoeias totas memoriae impressas haberet: § 72.

Horographi, Herodoti prodromi: § 163.

Humboldt, Guilelmus, doctrinam wolfianam adsensu comprobavit: § 125.

I.

Ilias et Odyssea iam antiquitus corpora epica erant, et ea artificiose composita, quae festis quibusdam diebus magna auditorum frequentia uno tenore recitabantur: § 4. 5. Ad quas recitationes audiendas non ita multa plus adsiduitatis opus fuisse demonstratur quam ad Atticorum ludos scenicos spectandos: § 6—10. Homeridis rhapsodisque a citharoedis, poëtis dithyrambicis aliisque artificibus in breviorem gyrum compulsis, Ilias et Odyssea totorum corporum speciem prae se ferre desierunt in particulasque dissolutae sunt: § 13.

Incitamenta duplicis actionis epicae, quae Odyssea continetur, poëta expositioni scenicae intexuit: § 100. Alterius actionis incitamentum, quo Ulixis reditus quodammodo praeparatur, in deorum decreto cernitur, quo Calypso Ulixem dimittere iubetur: § 101. Prioris actionis incitamentum Minervae debetur, utpote quae Telemacho persuadeat, ut de patre sciscitatum Nestorem et Menelaum adeat: § 102.

Ingenii celeritas, qua Homerus excellit, praedicatur et exemplis illustratur: § 31. 32.

Ingenii vi Homerus usus est ad infirmitatem memoriae sublevandam, ita quidem, ut totas actionum epicarum perpetuitates vel series „per visiones" imagunculis includeret, easque imagunculas in maiores imagines confunderet, quas una velut visione menti obicere poterat: § 36—50. Quibus imaginibus tanquam prototypis usus est, ad quorum exemplum poëmatum suorum membra fingeret, quae cum ad universae epopoeiae unitatem accommodata essent, sua sponte in unum corpus coaluerunt: § 53. Hodie scriptores operum suorum adumbrationes praeparatoria industria in „adversaria" conferre consueverunt; quorum in vicem ab antiquis poëtis imagines illae sumebantur: § 54; ut quibus menti obiectis actionis progressum in memoriam sibi revocarent: § 55.

Italorum poëtae extemporales, qui „improvisatores" vocantur, memoriae vi excellunt: § 61.

Iterata, quae in carminibus homereis sescentiens occurrunt, rhapsodis ad versus memoriae imprimendos mirifice conduxisse putanda sunt; quae iterata originem debent simplicitatis studio, cui poëta epicus indulget, quo quidem fit, ut poësis homerica a multiplici et versicolori varietate prorsus abhorreat: § 66. Quibus potissimum in rebus iterationes illae versentur, exponitur: § 67. Narrationis et dictionis simplicitate variandique parsimonia, cui iterata ista debentur, poëta rhapsodis in memoriali negotio exsequendo succurrere studet: § 68. Huc accedit, quod iterata illa rhapsodis quasi quaedam intervalla praebent, ubi paulisper respirare iis licet: § 68. Iisdem iteratis versibusque stabilibus magna voce pronuntiatis recitationis gravitas augetur: § 69. Apud Homerum iterata tam multa sunt, ut ingentem versuum summam efficiant, qua pensum memoriale rhapsodis imperatum ad multo minorem versuum numerum redigitur: § 70.

K K.

Kirchhoff, Adolphus, Odysseam in varias partes pro diversa earum origine dissecuit: § 127.

Köchly, Arminius, totam Iliadem ad sedecim libros redegit: § 127.

Κτίσις Μιλήτου, Cadmi Milesii, logographi, opusculum: § 163.

L.

Lachmann Carolus, Godofredi Hermanni impulsu ad Iliadem accuratius considerandam et in „separata carmina" dissecandam videtur excitatus esse: § 126. Idem „carminum minutulorum venatoribus", quos Nitzschius vocat, in Homerum invadendi quasi signum dedit: § 127. Ex eius doctrina Ilias, id est XVII priores Iliadis libri — nam ceteros repudiat omnes —, ex duodeviginti fere carminibus separatis posteriore demum tempore consuta est; ignorat enim Lachmannus naturalem illam legem, qua a minoribus ad maiora, a separatis aoedorum cantiunculis ad maiores epopoeias progressus fit; nam duae epicae poësis aetates internosci debent: altera tirocinii aoedorum, altera maioris perfectionis, Homeri: § 164. Si doctrina Lachmanni, qui Homerum cum aoedis, quippe rudibus tironibus, in unam eandemque capulam conicit, vera esset, Homerus in primis artis epicae elementis haesisset, nec artis illius princeps esset, sed minutulus poëta; tota autem Graecorum poësis epica in primo statim cursus stadio interrupta esset et collapsa: § 165. Doctrinae lachmannianae vehementer refragatur universalis carminum homericorum indoles, qua rerum universitatem una comprehensione complectuntur: Homerus, poëta grandissimus, in pusillis poëmatis fabricandis adquiescere nequivit; minutulus autem poëta in poëmatio suo pertractando totus est, nec meditatio eius ultra contractissimos cancellos evagatur: § 166. 167. Neque minus doctrinae lachmannianae obstat insignis carminum homericorum unitas, quae adeo non ab aliis iis inseri potuit, ut statim ab initio ab ipso poëta iis ingenita esse existimanda sit: § 168. Si Pisistratus eiusque sodales ex separatis carminibus nostram Iliadem et Odysseam conflassent,

universa antiquitas eos admirata esset; at silet; qua taciturnitate corpora epica tam portentosum in modum cooriri non posse testatur: § 169. Iis, qui a collegio pisistrateo novum Homerum, qui nullusdum esset, in lucem prolatum esse docent, opponere licet: cur ab eodem collegio poëtarum cyclicorum carmina non sint novata: § 170. Doctrinae lachmannianae vehementer refragantur epopoeiae cyclicae, quae, cum sat magno ambitu fuisse tradantur, cum pusillis istis cantiunculis, quas Lachmannus Homero tribuit, uno thesauro includi vel in unum confundi non potuerunt: § 171. 172; Welckerus commode Iliadem cum sole, Odysseam cum luna, carmina cyclica cum minoribus sideribus comparat; Lachmannus contra totam rem pervertit, cum eo praeceptore contra omnem universae antiquitatis auctoritatem carmina homerica et cyclica ita quasi partes inter se permutent, ut illa ad minorum gradum detrudantur, haec ad maiora evehantur: § 172. Tales cantiunculae, quales Lachmannus vult, poëtas cyclicos ad magnas epopoeias componendas aut ad ingentem thesaurum epicum conficiendum inflammare non potuerunt: § 173. Si verum esset, quod Lachmannus docet, Pisistratidas duodeviginti fere poëmatia inter se separata ita transfigurasse, ut Ilias nostra inde nasceretur, illi non modo usitatas perceptasque poësis homericae cognitiones sustulissent, sed etiam instituta per multa saecula inveterata abolevissent; iidem omnium Graecorum iram in se convertissent, quod impia mente lepidulas Homeri cantiunculas in ingentia epopoeiarum monstra transformare ausi essent; neque minus excitassent furorem rhapsodorum, qui, cum inde ab omni tempore mediocrem minutulorum poëmatum complexionem recitare consuessent, repente monstra epopoeiarum ediscere ab eo essent coacti; Pisistratus igitur Graecis pro parvulis poëmatis magnas epopoeias obtrudere non potuit § 174. 175. Anxie cavit Lachmannus, ne „atomisticam“ suam industriam ad Odysseam conferret, cum probe sciret, tali incepto tenacissimam carminum odysseacorum inter se cohaerentiam obstare: § 176. Refutatur, quod Lachmannus docet, poëmatis unitatem non a poëtis ingigni, sed fortuitam esse ipsique mytho deberi: § 177—190. Lachmanni doctrina a generali carminum homericorum natura, quippe quae universi populi graeci moribus et ingenio accummodata sit, prorsus abhorret: § 191—198. Recensentur vitia, quibus eadem doctrina laborat: § 199. Lachmannus contra ius et fas Pisistratidarum de poësi homerica iudicium prae recentiorum criticorum iudicio contemnit, oblitus ille, eos aetatem Homeri multo propius attingere quam nos posteros: § 200.

La Roche, Jacobus, epopoeiarum homericarum originem explicare et singula carmina, quae Odysseae subsint, secernere conatus est: § 127.

Leschae poëma, quod „parva Ilias“ inscribitur, non ita brevi ambitu videtur fuisse: § 171.

Locorum lineamenta in Iliade Homerus in universum servavit, sed in pugnae muralis descriptione discrepantiae non desunt, quibus vix quicquam tribuendum est, cum ipse poëta quidem locorum imaginem in animo quasi insculptam habeat, et in eorum descriptionibus in universum sibi constare possit, rhapsodi non item: § 237.

Logographorum industria initio saltem contractissimis terminis circumscripta erat, cum Herodotus rerum universitatem complecteretur: § 163. Singuli logographi commemorantur: ibid.

Lycurgus carmina homerica ex Ionia Lacedaemonem transtulisse perhibetur: quae fama fabularum similitudinem prae se fert: § 14.

M.

Memoriae vi quatenus antiqui poëtae eguerint, explicatur: § 33 e. q. s. Statuendum est, eos ad artificia quaedam confugisse, quae tanquam levamina essent, quibus memoriola niteretur: § 35. Spreta memoriae infirmitate ad singularem ingenii vim confugerunt, ut qua vehementius incitata totas rerum perpetuitates vel series, quas ipsa memoria vix comprehendere potuisset, facile animo repraesentare possent: § 36. Demonstratur, singula epicae actionis „momenta“ multo facilius memoriae imprimi posse, si memoriae vis incitatiore ingenii vi adiuvetur; quod ut appareat, corpus Iliadis in corpuscula dissecatur, quae in totidem imagunculas visione quadam animo repraesentatas transfigurantur; quae imagunculae quo modo in maiores imagines confundi comprehendique possint, exponitur: § 37—50. Quae memoriae vi particulatim menti offeruntur, ea cogitatione ingeniique vi ita uno in conspectu poni possunt, ut primo statim obtutu percipiantur et comprehendantur; qua in re praeclarum memoriae adminiculum est positum, quod Homerum in usum suum convertisse veri simile est: § 51. Quibus omnibus

efficitur, poëtam inter ipsam carminis epici compositionem minus memoriae quam ingenii vim intendisse: § 52. Vi memoriali antiquissimi poëtae tum potissimum egebant, si opere absoluto id agendum spectandumque erat, ut confecta poëmata oblivione ne obruerentur: § 56. Nobis recentioribus, quibus sescenta memoriae adminicula praesto sunt, memoriae usu paene supersedere licet: § 57; prisci homines memoriae subsidio maxime egebant, eique firmandae et corroborandae studiorum suorum simplicitate et perpetua exercitatione prospiciebant: § 58. 59. Rhapsodos, ut qui artem memorialem profiterentur, incredibili memoriae tenacitate praeditos fuisse necesse est: § 60. Vates Scotorum, Calmyccorum, Italorum eximia memoriae vi rhapsodos paene aequiperant: § 61. Rhapsodis ad carmina homerica ab oblivione vindicanda tria suppetebant levamina: cantus numerorumque adiumentum, crebrae eorundem locorum iterationes, denique commune omnium rhapsodorum studium in carminibus homericis recitandis collocatum: § 62—73.

Minckwitz, Iohannes, docet: Homeri carmina singillatim et quasi minutatim edita et ab Atticis demum in unum corpus coniuncta esse; quae doctrina eodem vitio laborat, quo lachmanniana, cum ex neutra satis appareat, unde carminibus homericis tam admirabilis unitas accesserit: § 26.

Momentum, cuius pulsu actio epica Iliadis incitatur, in Iovis promisso ponendum est, quo Achilli satisfactum iri Thetidi adfirmat: § 77.

Müller, Odofredus, „unitariorum“ sectae unice addictus fuit; nam eo iudice non solum utrumque carmen per se ipsum admirabili quadam unitate excellit, sed etiam Ilias et Odyssea propinqua cognatione inter se coniunctae sunt, eandemque eiusdem auctoris mentem spirant; eosdem in Iliade, eosdem in Odyssea mythos esse et religiones; earundem differentias non esse maiores, quam quae saepe in eiusdem hominis iuvenilibus senilibusque studiis et voluntatibus deprehendantur; quaestionis homericae difficultatem ex nostra ultimae antiquitatis et poëticae facultatis ignorantia nasci; ipsi Homero discipulorum gregem a latere fuisse, totamque et Iliadem et Odysseam festis quibusdam diebus publice esse recitatam; quae acroamata cum aliorum poëtarum artificumque acroamatis cessissent, epopoeias homericas totas recitari desitas et in separata carmina dissoluta esse, dum Solon et Pisistratus eas litteris mandandas curarent: § 136. Odofredi Mülleri auctoritas, cui plurimum tribuendum est, recentiores criticos deterrere debebat, quominus in pravo suo Homeri carmina discerpendi studio perseverarent: § 137.

Mythorum complexio initio nihil aliud fuit quam rudis indigestaque moles, quae poëtarum demum opera ita transformata est, ut digna fieret et idonea, quae splendido poësis ornatu vestiretur; qua in re poëtis pro suo arbitrio dominari licebat, dummodo pia mente ipsam mythi medullam intactam relinquerent: § 181. Mythorum conformatio et historia fabularis ab aliis populis ad alios gradus evectae sunt pro maiore minoreve populi cuiusque ingenio: apud alios populos vix prima historiae popularis rudimenta inveniuntur poëticum quiddam spirantia illa quidem, sed ornatu poëtico prorsus carentia; alii populi, velut Romani, quanquam in originibus suis inlustrandis satis audacter versati sunt, tamen pro sobria sua natura epopoeiis popularibus eas celebrare non induxerunt animos; paucis populis, inter quos eminent Graeci, divinitus concessum est magnas epopoeias et tragoedias ex mythis suis elicere: § 183. Cum mythi eiusdem nationis universitati originem debeant, fieri potest, ut ne antiquissimorum quidem poëtarum rudimenta unitate quadam careant; sed cavendum tamen est, ne, Lachmanni exemplum secuti, unitatem illam fortuitam esse ipsique mytho, non poëtis deberi existimemus; immo antiquissimarum fabularum cantiuncularumque unitas ipsis poëtis antiquissimis debetur, qui, cum nomina eorum interierint, nobis paene nulli sunt, quos tamen olim fuisse ipsa illa unitas testimonio est; qui cum eorundem fontium mythicorum, morum, institutorum, religionum communitate et commercio quodam, quod diebus festis inter eos intercessit, coniuncti essent, unitas illa satis explicatur: § 184. Percensentur singula stadia, quae mythi Graecorum decurrerunt: 1) aetas poëtarum „anonymorum“, qui aoedorum „prodromi“ habendi sunt: § 185; 2) aetas aoedorum: § 186; 3) aetas Homeri: § 187; 4) aetas poëtarum cyclicorum: § 188; 5) aetas poëtarum tragicorum, qui seriei poëmatum ex thesauro mythico ductorum quasi ultimum membrum inseruerunt: § 189. In mythorum graecorum conformatione non caecus casus dominatur, sed eius gradatio certa quadam lege ac norma astricta est: § 190.

N. N.

O.

P.

R.

Corrigenda.

Pag. 17 infr., vers. 11 post „quanquam“ comma ponendum est. Pro „scena“ et „scenicus“ ubique locorum scribendum est „scaena“ et „scaenicus“.



Typis exscripsit W. Drugulinus Lipsiensis.


COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0021124027